HARVARD LAW LIBRARY
3 2044 061 558 821

Digitized by Google

VE RI TAS

HARVARD LAW SCHOOL
LIBRARY

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PASCHALIS JOSEPHI MELLII FREIRII,

IN REGIO EQUESTRIUM ORDINUM COLLEGIO
OLIM COLLEGAE,
JURIS PATRII APUD CONIMBRICENSEM ACADEMIAM
PROFESSORIS EMERITI,
ACADEM. REG. SCIENT. OLISIPON. SOCII,
CET. CET. CET.

# HISTORIAE
# JURIS CIVILIS LUSITANI
## LIBER SINGULARIS.

ADCEDUNT
DE JURECONSULTIS LUSITANIS,
ET
DE RECTA PATRII JURIS INTERPRETANDI RATIONE
CAPITA DUO.

*Editio quarta in usum Auditorii Conimbricensis, juxta primam ann. 1815. et secundam ann. 1827.*

CONIMBRICAE
TYPIS ACADEMICIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

2239

135

a. p. l. 2. 7

# HISTORIA
# JURIS CIVILIS LUSITANI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Paschoal José Mello Freire

# PASCHALIS JOSEPHI MELLII FREIRII

IN REGIO EQUESTRIUM ORDINUM COLLEGIO
OLIM COLLEGAE,
JURIS PATRII APUD CONIMBRICENSEM ACADEMIAM
PROFESSORIS EMERITI,
ACADEM. REG. SCIENT. OLISIPON. SOCII,
CET. CET. CET.

# HISTORIAE
# JURIS CIVILIS LUSITANI
## LIBER SINGULARIS,

ADCEDUNT
*DE JURECONSULTIS LUSITANIS*,
ET
*DE RECTA PATRII JURIS INTERPRETANDI RATIONE*
CAPITA DUO.

*Editio quinta in usum Auditorii Conimbricensis, juxta primam ann. 1815., et secundam ann. 1827.*



CONIMBRICAE,
TYPIS ACADEMICIS.

1853.

S
POR
903
MEL

Digitized by Google

Fon + x
M

*Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis*
*Causa, sed utilitas officiumque, fuit.*
Ovid. Epistolar. ex Pont. III. 9. 55. seq.

*Quujus... mentem non perculit ille senator,*
*Interpres legum, quo nec praestantior olim*
*Scaevola Serbidius, gravior neque Caius ipse,*
*Nec melior, clarum cui gens dedit Ulpia nomen?*

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

*Curia quando parem depletae munus in urnae*
*Adleget, aut simili subsellia celsa prementur?*
L. Andr. Resend. Epist. II. ad Lupum Scintillam Jurisconsultum

Digitized by Google

Ex.^mo e R.^mo Sr.

O PRINCIPE E REGENTE Nosso Senhor, a quem foi presente a Representação, que V. Exc.ª dirigiu á Sua Real Presença em data de 8 de Março proximo passado, com a qual Ha por bem conformar-se, Dispensando no que se acha disposto a respeito dos Livros Juridicos no Liv. 2. Tit. 14. Capp. 1, 10, 11, etc., e no que o mesmo Senhor Foi servido declarar no Alvará de 16 de Janeiro d'este presente anno em o §. 5. para este effeito sómente, por assim o exigirem as circumstancias da Reformação actual, e a brevidade do tempo: E' servido determinar que se dêem logo á Imprensa os quatro Livros, por V. Exc.ª propostos, que são: o das Instituições de Direito Civil de Heineccio, emendadas e reformadas por Jo. Pedro Waldeck; o das Instituições de Direito Canonico de Xavier Gmeiner; o das Instituições de Direito Canonico de Domingos Cavallari, Professor de Direito Canonico e Civil; e o das Instituições de Direito Patrio de Paschoal José de Mello; pois que tendo elles merecido a Approvação de S. A. R., E' o mesmo Senhor servido, que o primeiro, as Instituições de Waldeck, seja lido no Primeiro Anno Juridico em logar da Instituta de Justiniano; o segundo,

750533

Digitized by Google

*as Instituições de Direito Ecclesiastico de Gmeiner, seja destinado para as Lições Elementares do Direito Canonico, que se hão de dar no Segundo Anno Juridico; as Instituições de Cavallari sejam destinadas para o ensino do Direito Canonico no Terceiro e Quarto Anno Juridico; e finalmente as Instituições de Paschoal José de Mello fiquem adoptadas para as Lições Syntheticas do Terceiro e Quarto Anno de Direito Patrio, tudo na conformidade da sua Representação: O que participo a V. Exc.ª para sua intelligencia, e para que faça apromptar estes Livros sem a menor perda de tempo, a fim de estarem impressos em Outubro proximo futuro.*

*Deus guarde o V. Exc.ª Paço em 7 de Maio de* 1805.

*Conde de Villa Verde.*

*S.or Bispo Conde Ref.or R.or*
*da Universidade de Coimbra.*

Cumpra-se e registe-se. Lisboa 13 de Maio de 1805.

*B.º C.de Ref.or R.or*

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

*Hei outro sim por bem e ordeno que na generalidade do Privilegio, que a referida Academia me supplica, e lhe concedo na sobredicta confor-*

Digitized by Google

*midade para a reimpressão das Obras antigas, ou raras, ou de AA. existentes, fiquem salvas as Obras, que a Universidade de Coimbra mandar imprimir, ou porque sejam concernentes aos estudos das Faculdades, que se ensinam n'ella, ou porque sendo compostas por Professores d'ella, as mande imprimir a mesma Universidade, como um testemunho publico dos progressos e da reputação literaria dos referidos Professores, etc.*

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

**Alvará de 22 de Março de 1781, §. 4.**

---

Digitized by Google

Digitized by Google

# PANEGYRICUS HISTORICUS,

SEMPITERNAE MEMORIAE

PASCHALIS JOSEPHI DE MELLO
FREIRII DOS REIS,

DICTUS IN PUBLICO
REGIAE SCIENTIARUM OLISIPONENSIS ACADEMIAE
COETU
DIE 17 JANUAR. 1799;

# JOANNI,

BRASILIAE PRINCIPI
CELSISSIMO,
AC
DOMINO NOSTRO
LONGE HUMANISSIMO,

CONSECRATUS;

A Franciſco de Borja Garção Stockler,
EJUSDEM ACADEMIAE A SECRETIORIBUS,
LUSITANE SCRIPTUS;
ET
LATINE REDDITUS
A Francisco Freirio Silvio de Mello
PRO
AVUNCULI SUI DESIDERATISSIMI
NOMINE RECOLENDO.

Digitized by Google

*Qui conſulta patrum, qui leges, juraque ſervat,*
*Quo multae magnaeque ſecantur judice lites.*

HORAT. lib. I. Epiſt. XVI. v. 41.

Digitized by Google

# JOANNI,
## BRASILIAE PRINCIPI
### CELSISSIMO,
AC
### DOMINO NOSTRO
LONGE HUMANISSIMO,

PERENNEM FELICITATEM

PRECATUR

*Franciscus de Borja Garção Stockler.*

*CUM illum singularem honorem, atque eximium beneficium, nuper a TE, CELSISSIME PRINCEPS, facile obtinuissem, ut hunc Panegyricum, ratione officii, utpote Regiae Scientiarum Olisiponensis Academiae a secretioribus, a me escriptum et elaboratum in laudem Doctoris Paschalis Josephi de Mello Freire dos Reis, coram TE recitassem; et cum illum maximam quidem gratiam TIBI adceptam referam me pro summo Jureconsulto, atque sapientissimo viro dicentem benigno ac jucundo animo audiendi: nihil mihi reliqum erat, nisi ut pro cumulo tui erga me honoris ac beneficentiae permitteres, ut eundem sub auspiciis tui AUGUSTISSIMI NOMINIS in lucem emitterem. Et cum etiam lubenter patiaris, ut hoc tuum tantum NOMEN, deliciae ac reverentia nostrorum omnium, in fronte hujus Panegyrici, qui totus in veritate nititur, ab eaque memoriae viri immortalis, de Patria bene merentis, in aeternum monimentum dictus fuit, fulgeat; non modo tuam*

Digitized by Google

*Scientiarum Academiam novo hoc insignique in me honore adficis, sed etiam tuae Magnitudinis ac Generositatis nobis, totoque terrarum orbi novum etiam hoc, ac perquam luculentissimum testimonium praebes, omnibusque palam ostendis, quod tuorum, qui fideliori flagrantiorique studio Patriae vere inservierunt, merita recognoscas, praemiisque et, dum vita manet, adficias, et, ut par est, tuam in ipsos benignitatem, etiam cum jam in vivis non sunt, producas. Quamquam enim irrevocabiles naturalis legis effectus suspendere, et hoc modo virorum, qui pro ingenii sui facultatibus aptiores sunt ad imperii felicitatem ac gloriam procurandam, interitum praecavere in Principum potestate minime sit: tamen humanissimi sapientissimique Principis est operam sedulo navare, ut hoc damnum faciliori negotio recuperetur, quod ita consequi poterit, si distinctioris meriti viros, eorumque nomina honoret, quo nullum fortius incitamentum est pro ipsorum numero in dies magis magisque augendo. Quod quidem TU, HUMANISSIME PRINCEPS, facere soles, omnibusque Principibus exemplo monimentoque es, cum virorum bene de Republica meritorum famam nomenque Regio tuo Praesidio tuearis ac foveas, tuumque SPLENDIDIDISSIMUM NOMEN inscribi permittas ad extollenda exornandaque monimenta, quibus virtutes, egregiaque facta illorum, qui hoc tanto, tamque singulari honore digni existimantur, posteris transmittenda.*

*Faxit DEUS, Optimus Maximus, ut felix faustusque sis, TE que diu nobis servet incolumem, prout eum indefessis precibus oro.*

*Vale.*

Digitized by Google

# PANEGYRICUS HISTORICUS
## IN LAUDEM
## PASCHALIS JOSEPHI DE MELLO FREIRE,
## JURECONSULTI LUSITANI.

I. PAschalis Josephus de Mello Freire dos Reis, Regiae Majestatis a Consiliis, Domus Supplicationis Gravaminum Senator, Publicus apud Conimbricensem Academiam Juris Patrii Professor Emeritus Ordinarius, Regalis Scientiarum Olisiponensis Academiae Socius, in oppido, quod dicitur *Anciāo*, sexto die Aprilis anno millesimo septingentesimo trigesimo octavo ortus est.

II. Natura, quae eum literis illustrem clarumque reddere destinaverat, de ipso majorum titulis ac fumosis imaginibus commendando non ita sollicita fuit: sed quamquam in hoc ipsa se satis negligenter agat, non equidem in Paschalem Josephum de Mello adeo illiberalis fuit, neque ei adeo parum consuluit, ut ab una ex honestioribus illustrioribusque familiis oppidi a nobis supra dicti eum originem ducere non fecisset. Melchior dos Reis, ejus pater, cum domi forisque militiae operam navasset, diversis expeditionibus pro patria susceptis, quae ei honorem nomenque conciliarunt ob virtutem ac vitae morumque integritatem (1), tandem, confectis stipendiis,

(1) Melchior dos Reis in bello de succedendo Hispaniae Regnis, quod vulgo *Bellum Magni Foederis* dicitur, militavit, omnesque ejus expeditiones ab anno 1706 usque ad Pactionem Ultrajectensem obivit. Interfuit oppugnationibus arcium prope Trajani pontem, et prope Augustobrigam, Ballagariumque, et proeliis ad Almansam, Villam-Viciosam, Caesaraugustamque habitis, et etiam certaminibus dictis *de Almanar*, *Candasnos*, *Prados*, in quibus omnibus ejus virtus satis cognita fuit. Cum autem in patriam reversus esset, D. Faustinam Freire de Mello uxorem duxit, ex eaque plurimos suscepit filios. Et cum nullam promeritorum mercedem postulasset, ipsa gestorum monumenta filio natu majori, Doctori Marco Freire de Mello dos Reis, Quinque Oppidorum Urbanarum Militiarum Majori Duci, et Serenissimae Infantis Domus ac Status ejusdem provinciae Procuratori, donavit.

Digitized by Google

in patriam rediit, non ut ibi bellicis laboribus effoetus otiose quiesceret, sed ut fructuose rusticaretur, et rebus a majoribus habitis, quas filiis eversas relinquendas non esse credebat, invigilaret.

III. Sed vero si pro Paschalis Josephi de Mello memoria commendatiori observantiorique prodenda necesse est, ut nomini veterani militis, colendis agris in secessu suo dediti, et agentis vitam privatam, in qua utiliores cives, aeterna oblivione sepulti, obscuritateque involuti, fere delitescunt, praeclarum aliquem virum, qui fama et nomine excellat, et qui olim ejus majores illustraverit, adjungamus; silentio hic praeterire non licet Historicorum nostrorum facile principem, magnum nimirum Joannem de Barros, quocum ejus majores strictissima sanguinis conjunctione devinciebantur (2). Et si praeclarum insignis hujus Scriptoris nomen, quod non minus saltem manebit, quam Almeidarum illud, atque Albuquerquiorum, quos ille immortalitati scriptis suis tradidit, ad explendam vanitatem illorum, qui omnem nobilitatem in fastoso munerum splendore adparatuque ponunt, adhuc non sufficit: aequo animo feramus quod Socius noster veram illam germanamque gloriam ac nobilitatem non ex proavis, neque ex iis, quae ipse non fecit, et quae sua ideo vix, aut ne vix quidem vocare potest, deducat; certi enim sumus, quod sui ipsius merita pro illo aeternum commendando satis superque erunt. Et vero quod adserimus, facile a nobis, et sine ulla unquam controversia obtinendum confidimus: humanae enim rationis progressus, qui ferocem barbariem, inertemque ignorantiam jam longe superant, nos sperare faciunt illos semper futuros, qui, cum aequaliter distent a fatuitate, cui tantum in pretio est splendor distinctionum pro arbitrio fictarum, atque a superbia philosophica (3), quae eas despicatui habere

---

(2) Vid. *Histor. Jur. Civil. Lusit.* §. LXXXV.

(3) Quamvis superbia, ac vera philosophia minime conjungi possint; tamen nullum frequentius est vitium inter id generis homines, qui tametsi vilioribus animi morbis perpetuo ad inserviendum, in errorumque ac pravarum opinionum sinu ad se enutriendos a natura propriaque eorum indolentia damnati, augustum philosophorum nomen inhiant. Hujusmodi inanes reipsa homines, equidem persuasi, quod

simulat, in nobilitate a majoribus habita exemplum socialium virtutum, a parentibus in filios non interrupta egregiorum facinorum serie derivatum, venerentur, et utilibus ingeniis, humanitatisque amori eum cultum persolvant, quem per semetipsa merentur.

IV. Melchior dos Reis adeo liberorum ingenio, moribus virtutibusque excolendis consuluit, ut nihil unquam prius, nihil antiquius habuerit, quam illorum animum mentemque pro virili informare; et ad hoc iis omnibus artibus usus est, quas paternus amor, recta ratione ductos, et tot rerum casibus periculisque versatissimus, illi suppetere potuit. Et ita omnia studiosissimi parentis spem adimpleverunt, ut non tantum ei solatium fuerit videre semina virtutum, quas liberorum animis instillandas curaverat, jam fere ab incunabulis in uno, alterove, vel pluribus eorum pullulare, manifestaque specimina edere eos adverum cognoscendum, ac bonum agendum pronos dociles que haberi, sed etiam in teneris annis uberrimos in scientiis fructus fecisse.

V. Enimvero Paschalis Josephus de Mello fratribus suis in minime vulgari ad excolendas literas natura antecelluit: et cum ejus dignus pater, officiorum, quae huic tam carissimo nomini inhaerent, memor, observantissimusque custos, filios, invita natura, nunquam educendos censeret, neque pateretur omnes ad studia quaevis promiscue appellere animum, sed, explorato cujusvis ingenio, ad quas artes unusquisque eorum aptissimus esse videretur, in eas incumbere faceret: simul ac Paschalem Josephum de Mello eo ingenii acumine ac vi ad colendas scientias proclivem esse cognovit, ipsum literis indulgere lubentissime tulit.

---

vera excellentia eorum, qui pro suo judicandi modo ordinarium genus hominum transcendunt, posita sit in iis, quae omnes suscipiunt, omnino despiciendis, ut speciosam tantum magnitudinem, quae praecipuae suae ambitionis objectum est, obtineant, imaginario huic idolo reliqua animi vitia devovere non dubitant, et, ut ex eorum voto res cedat, ea, quae tantopere contendunt, despicatui habere studiose simulant. Epitheton ergo *philosophica* nobis adcommodatius visum fuit ad explicandam audaciam superbiamque id genus homunculorum, qui, ut philosophi in vulgi opinione habeantur, minime consequentes, et inter se contrarii esse non dubitant.

VI. Jurisprudentiae igitur studium ei prae reliquis scientiis convenire putavit ob praestantem mentis aciem, et incorruptam morum vitaeque integritatem, et ob humanitatem, recteque sentiendi facultatem eximiam, quibus Paschalis Josephus de Mello a natura praeditus erat, et quae fundamenta jaciunt ad designandum prudentem constantemque Magistratum, qui tandem aliquando in reipublicae muneribus obeundis Principem agere debet.

VII. Vigilantissimus autem ejus pater vel maxime ex eo incitatus, quod, confectis celeriter diligenterque studiis, quibus puerilis aetas ad humanitatem informari solet, ejus ingenium in dies magis magisque explicari; ac mirum in modum progredi videret, sperans brevi ad summum illud honoris ac dignitatis fastigium, prout ipsi in animo erat, evehendum, Juris studia apud Conimbricensem Academiam a magnae spei filio ineunda curavit. Erat autem adhuc ita tenerrimus adolescentulus (4), ut vix unius alteriusve exemplum referri possit, qui sic praemature confecerit humaniorum elegantiorumque literarum studia, per quae ad severiores gravioresque disciplinas ingressus fieri solet. Eaque de causa, ne ob rerum inexperientiam in errorem aliquem prolabi posset, neve syrtibus, locisque difficilibus atque scopulosis, in Juris Civilis Romanorum studio passim obviis, inutiliter retardaretur, Ludovico de Mello, ejus fratri, Conimbricensis Dioeceseos Canonico, eum commendavit, ut ab ipso dirigeretur in hoc inextricabili Juris Romani labyrintho. Et equidem Ludovicus de Mello, quem honoris causa nomino, Juris etiam scientiam amplexus fuerat; et quamvis sponte, propriaque, ut par est, devotione, sublimius aliud ministerium elegisset, nec eo quidem ipso multarum causarum, earumque celebriorum, quae per ea tempora in Lusitano foro agitatae fuerunt, agendarum munus missum fecit, in eisque agendis clarissimi Jureconsulti nomen promeruit.

VIII. Progressus illi quidem, quos Paschalis Josephus de Mello in Juris disciplinis fecit, adeo magni fuerunt, ut discere docturus videretur, prout a praestantis ingenii adolescente, utpote ducto a tam eximio paedagogo, sperandum

(4) Duodecim annorum erat.

Digitized by Google

randum erat. Is namque annum decimum nonum aetatis vix expleverat, cum Doctoris gradum in Jure Civili adeptus est (5) summis universae Academiae laudibus, quae jam ab eo tempore hunc prospiciebat tamquam praestantem alumnum eidem Academiae maximo ornamento, decori gloriaeque aliquando futurum. Vastitas ejus scientiae, assidua studia, ac praecipue ingenii acumen, cum quotidie patefierent in subeundis Juris Cathedris, ceterisque omnibus acroasibus officiisque Academicis, maximam ei nominis celebritatem in dies pepererunt, quae eo pervenit, ut Conimbricensia literaria Collegia de eo in sinum suum recipiendo quodammodo certarent. At enim eum habendi honor ad Regium Equestrium Ordinum Collegium solummodo spectabat, in quo, prout fieri oportebat, Avisiensibus insignibus decoratus fuit die decimo octavo Decembris anno millesimo septingentesimo sexagesimo tertio; hoc enim Collegium illo, vere singulari, et ad haec usque tempora nunquam interrupto, Professores Doctoresque egregii meriti in suis alumnis numerandi privilegio gaudet.

IX. Acroasis illa, quam Paschalis Josephus de Mello anno millesimo septingentesimo sexagesimo quinto de improviso fecit, cum ad vespertinam Juris Romani Cathedram, quae non ita pridem vacaverat, ex legibus Academicis concurreret, adeo omnibus numeris absoluta splendidissimaque fuit, ut Caspar de Saldanha, Academiae Conimbricensis id temporis magni nominis Rector, in suis ad Regem de iis, qui certamen literarium iniverant, literis de more missis eum longe singulari honorificentissimaque laude summopere commendaverit. Adeo supra modum Paschalis Josephi de Mello ingenium sapientiamque omnes mirabantur in iis etiam extemporalibus certaminibus literariis, quae ob philosophiae vitium, tamquam tutissima regula ad Doctorum merita dignoscenda, in Europae Academias penetrarunt, quaeque, cum compluribus re vera simillima sint versificatoris improvisis, non aliter imparia sunt ad judicandum, quanti quisque Doctor faciendus, quam versus ex tempore fusi, ut ex iis de poëtae ingenio

---

(5) Die 3 Maii ann. 1757.

judicatur! Quamvis autem Jureconsulti nostri praestantia non ex hoc uno tam ambiguo argumento pateret, tamen mos ille saepe numero civitatibus exitialis semperque damnosus, ex quo civium jura ad reipublicae munera obeunda metiuntur fundamentis, quae, cum non semper digniores quosque praeferant, eo tantum spectant, ut viri ad omnia summa nati tardius munera occupent, et subditi, vel saltem pares reddantur mediocribus ingeniis, irritam fecit illam Casparis de Saldanha commendationem. Paschalis Josephus de Mello etsi e competitoribus putaretur excellere, ii tamen eum Academici gradus antiquitate praecedebant: et cum per haec tempora antiquitas ipsa apud nos prae reliquis omnibus vigeret, ac, veluti sacrum caduceum, nefas fuerit violari, ideo ad bene de eo meritam Praeceptoris dignitatem adhuc evectus non fuit.

X. Sed vero tempora, quibus dissipandae erant tenebrae politicis rebus nostris jam diu offusae, tandem aderant. Princeps enim, quem Providentia destinaverat ad novae nostrae generationis fundamenta jacienda, jam tum summa rerum potiebatur. Ipse autem jam bene perspectum habebat publicae institutionis instaurationem illud esse principium, a quo vel maxime pendet magnum sane opus et arduum Lusitanae Gentis ad illam dignitatem, quae ei inter reliquas Europae Nationes debetur, restituendae, extollendaeque ad naturale illud magnitudinis fastigium, ad quod ejus viribus cum physicis, tum moralibus vocitatur, et ad quod nisi hoc praevio limine efferri non poterit. Jam equidem removere coeperat impedimenta illa, quae piissimi Joannis III. flagrans studium publicae prosperitatis progressibus improvide opposuerat, et in quibus postea politica illa fraudulenta perpetuitatem nostrae depressionis, suaeque dominationis stabilire conata fuerat. Jam denique humaniorum literarum studia venustiorem faciem, eamque a saeculi luminibus minus alienam, induerant: at bellum, ejusque semper fatales exitus exsecutionem hujus tanti consilii, omnium certe a Josepho I. initorum utilissimi ac gloriosissimi, et ob quod ejus memoria apud nos aeternum colenda, interruptam rediderant.

XI. Academiae vero instauratio, anno millesimo

Digitized by Google

septingentesimo septuagesimo secundo perfecta, quae hoc tantum opus omnibus numeris explevit, cum melioribus studiis meliores etiam Professores adferre debebat; et hac de causa Paschalis Josephus de Mello, cujus egregium meritum quam maxime jam tum effulgebat, non poterat in delectis non comprehendi, praesertim cum rerum nostrarum studiosissimus Administer, quem Rex amplissima potestate munierat, optimos quosque ex animi sententia perquireret, ut eis publica Lusitanae Juventutis institutio traderetur. Evectus igitur fuit Paschalis Josephus de Mello ad sufficiendam Juris Patrii Cathedram, quae tunc apud nos creata fuit: at si majoris antiquitatis ratio adhuc efficere potuit, ne ejusdem Cathedrae spartam proprio jure exornandam susciperet, Ordinario tamen tunc temporis praeclaro Professori honoribus privilegiisque aequatus fuit (6).

XII. Jurisprudentiae Civilis studium apud nos ad Romanorum leges tantummodo restringebatur, quasi ad Patrium Jus tamquam praecipuum scopum toto pectore incumbere non deberent, qui ad publica in Civitate Magistratus munera obeunda idonei essent reddendi.... Quam difficile posteris ad credendum erit, Lusitanam Gentem, quae saeculo XV. et XVI. reliquos, qui ubique terrarum eluxerant, populos adaequaverat, et vel etiam in multis superaverat, ad Patriam Jurisprudentiam quod adtinet, exeunte jam saeculo XVIII., adhuc tanta caligine perfundi! ... Illud equidem verum est, quod cujusvis civitatis leges numquam perfecte cognosci poterunt, quin pariter cognoscantur fontes unde ipsae manarunt; et Lusitanas leges maximam partem a fontibus Romanis haustas fuisse, sciunt profecto omnes: at qui sibi serio persuasus est Romanarum legum scientiam ad jus nostrum perfecte callendum, rebusque in foro agitatis adplicandum sufficere, non aliter suaviter ridendus ac ille, qui, cum scire cupiat, quanta sit fluminis a fontibus, unde prorumpit, ad mare usque longitudo, et ea removere, quae eidem navigando sunt impedimento, ad ipsius originem, in aquae quantitate, ejusque cursu contemplando defixus, aeternum sellet.

(6) Ex Decreto 11 Septembr. 1772.

Digitized by Google

XIII. Et equidem, omissa in Academia Patrii Juris scientia, inter multa, eaque funesta, quae inde venerunt, mala, non minimi certe faciendus despectus ille, in quo Patriae leges habitae sunt a Jureconsultis illis Lusitanis, qui eisdem dilucidandis pares fuissent, si ab ineunte aetate Patriae Jurisprudentiae studium parvi ducere non adsuevissent, vel fortasse minus dignum putassent, cui incumberent admodum sublimia ingenia illorum, qui Romani Juris recondita arcana penetrare ausi fuerunt.

XIV. Miserandi igitur causidici, ex maxima parte argutiis effugiisque Lusitani fori, cujus ne ipsam quidem philosophiam habebant, intenti, soli ut plurimum Lusitanas leges sunt interpretati modo ex Senatorum decisionibus (itaque, nubem pro Junone amplexi, Patriae Jurisprudentiae posuere fundamenta non illa quidem a legibus ducenda, sed quae ab eis misere ducta fuerant); modo ex legibus Romanis, si qua eisdem similis quaestio inveniebatur, quin animadverterent Jus nostrum, cum magna ex parte a primis Lusitanorum moribus, Arabum consuetudinibus ac jure, et a Codice Wisigothico originem ducat, legibus Romanis omnino esse contrarium; modo denique ex communibus Doctorum opinionibus, perinde ac si eae, quamquam a mendosis principiis derivatae, si magno numero essent, illam inter se communem vim habere possent, quam singulae non habebant. Et hoc modo, nullis pariter critices ac Juris Naturalis, quod ceterorum omnium jurium fons, principiis ducti, Jurisprudentiam omnino perverterunt depravaruntque, et adeo leges non dilucidarunt, neque forensem usum, prout oportebat, ad simplicitatem reduxerunt, ut potius illas obscuraverint, hunc vero mirum in modum intricatum, et aeternis ambagibus plenum reddiderint.

XV. Professoribus ideo Patrii Juris scientiae, apud nos denuo fundatae, non tantum ignorantia depellenda, sed etiam recepti inveteratique errores oppugnandi, innumeraque removenda erant impedimenta, quae imperiti Pragmatici legibus recte interpretandis opposuerant, varias inter se contrarias opiniones stabiliendo, quibus Advocati Lusitani alio atque alio modo, prout res exigere videbatur, utebantur, ut Judices, maximam partem parum pruden-

Digitized by Google

tes, confunderent, irretirent, illuderent. At quomodo, quaeso, illi, quibus instituendae juventutis provincia demandata, tam magni momenti rem adsequi possent, nisi Juris nostri scientiam ad principia quaedam, methodumque revocarent, in Auditorum usum Institutiones, philosophico modo elaboratas, ordinando, quae eos, cum legum Lusitanarum voluntatem tenerent, dignos redderent, qui pro eisdem aliquando emendandis operam conferrent suam?

XVI. Et hoc quidem in suo genere summum consilium perspicacem sapientemque legum novae Academiae latorem non fugerat, uti in illis expresse jussum videmus. Cum vero Paschalis Josephus de Mello Patrii Juris Cathedram, quae ei ad substituendam demandata, veluti proprio jure, paucis interjectis mensibus, exornandam susciperet, eidem inde usque incumbens, magis utilitatis officiique adimplendi, quam gloriae causa Ordinarii Professoris partes etiam in hoc subeundae ei fuerunt. His igitur inopinatis rebus Lusitania adceptum refert, quod nunc primum videt omne vastissimum atque implicatissimum Jus suum ad artem lucide et breviter revocatum. Sex enim Paschalis Josephi de Mello parvae molis libri (*),

---

(*) *Historiae Juris Civilis Lusitani liber singularis* prodiit Olisipone 1.° anno 1788, 2.° 1794, 3.° 1800, in-4°; *Institutionum Juris Civilis Lusitani liber I. de Jure Publico* 1.° ann. 1789, 2.° 1794, 3.° 1797, in-4.°; *liber II. de Jure Personarum* 1.° ann. 1791, 2.° 1794, 3.° 1799, in-4.°; *liber III. de Jure Rerum* 1.° ann. 1791, 2.° 1794, 3.° 1800, in-4.°; *liber IV. de Obligationibus et Actionibus* 1.° ann. 1793, 2.° 1795, 3.° 1800, in 4.°; *Institutionum Juris Criminalis Lusitani liber singularis* 1.° ann. 1794, 2.° 1795, 3.° 1796, in 4.° *Historia Juris Civilis Lusitani* in tertia editione prodiit auctior et ad autographum recognita, innumerisque, qnibus scatebat, expurgata erroribus, qui typothetae incuria irrepserant. Auctor, gravioribus curis negotiisque impeditus, primae ejusdem libri editioni consulere non potuit; et cum eam jam excusam tot typographicis erroribus corruptam vidit, illi aegre fuit. Secunda ipsius libri editio, quam Auctor emendare praestituerat, eo inscio, prodiit; et irreptis in eam fere omnibus primae editionis, aliisque denuo erroribus, ut in tertia editione ab omnibus emendata prodiret, studiose et diligenter curavi, prout Auctori, dum vita fruebatur, in votis fuerat: et hac de causa leges fontesque omnes ab Auctore relatos adivi, multa in Regni tabulario cujus mihi copia facta, perpendi, titulos Codicis Alphonsini exegi ad titulos ejusdem Codicis ann. 1792 typis primum vulgati, qui a Codice MScto, quo

in quibus et critice, et philosophia, et vastissima Scriptoris scientia aequaliter fulgent, omnia re ipsa continent, quae in legum nostrarum amplissimo Codice habentur, quaeque extra illum huc illuc dispersa Collectionibus multo quidem diffusis vagantur, et maximam praeterea ac praecipuam partem solidiorum universalis Jurisprudentiae principiorum, quae sublimiora ac prope divina ingenia illorum, qui se ad primaevam usque officiorum hominis originem, veraque civitatum principia extulerunt, ex limpidissimo hoc fonte scaturigineque summo humanitatis bono derivarunt.

XVII. His in operibus, ac praecipue in illo singulari libro, quo de Jure Criminali Lusitano pertractatur, ipse sibi Paschalis Josephus de Mello monumentum aere perennius posuit, quod ejus nomen, omni invidia majus, ad remotissima usque posteritatis tempora feret, atque extollet, efficietque illum postera aetate inter Philosophicos Jureconsultos, numero quidem admodum paucos, referri, qui patriam jurisprudentiam illustrare ausi sunt, quin omnium civium jura timori aliquibus displicendi devoverint.

---

Auctor usus fuerat, in titulorum numero et serie aliquoties differt. [Omni hoc studio, diligentia curaque spretis, 4.ª prodiit editio ann. 1806, erroribus typographicis longe scatens, multis ad §phorum marginem positis summariis mutila, non solum operosa, maximeque utili titulorum concordantium tabula, quae ad libri calcem inveniebatur, invidiose maligneque (quod mirum in modum turpe ac indignum!) defraudata] Ad Institutionum libros quod adtinet, eos curavimus in prima tantum editione, cui etiam invigilavit Auctor; subsequuntas editiones typothetae curis commisimus: librum tantummodo II.um *de Jure Personarum* in tertia editione ab illis, qui secundam editionem deformaverant, mendis expurgavi, et non nullos ibidem §phos retuli, ubi res uberius disputantur et fusius: cum enim Auctor non omnia conjunctim dederit, scribendorum §phos referre haud poterat, sed lectorem ad ea, quae erant pertractanda, generatim remittens, fidem suam liberavit. Notandum vero est, quod primam *Institutionum Juris Criminalis Lusitani* editionem aliae duae exceperint, servato in fronte libri eodem primae editionis anno, quin declaretur, ut res literaria postulat, quae secunda quaeve tertia editio, et earum annus: sed in rationario typographiae Regalis Scientiarum Olisiponensis Academiae, e cujus typis omnes editiones emissae, *Institutiones Juris Criminalis Lusitani* tertio editas vidi sub diversis annis supra dictis. *Interpr. Adnot.*

Digitized by Google

XVIII. Operum partitio et proprius ad naturam accedere, et simul pro legibus facilius intelligendis adcommodatior videtur. Cujusvis enim civitatis codex veluti sacrarium est omnium legum, quae civium officia, positiva jura, pactave conventa statuunt. Jura autem haec partim ad mutua civem inter atque civitatem, partim vero ad civium inter se officia spectant. Et hinc sua sponte fluit partitio illa juris uniuscujusque civitatis in publicum, et privatum. Enimvero, ne cives officiis suis desint, praeter publica commoda, quae ex civitatis salute proveniunt, alia etiam privata incitamenta sint oportet, quae eos in unaquaque re ad officia sua obeunda invitent, compellantque, sive eis consideranda proponantur bona, quae, si illa pro eo ac debent obierint, consequentur, sive saltem quae imminent mala, si eisdem quoque modo deesse videbuntur. Codex autem legum, quo varii modi declarantur, quibus cives ab officiis suis discedunt, et propria insuper incitamenta, quae Princeps pro civibus in officiis suis continendis idonea existimavit, duae illae partes sunt, quibus Jus Criminale constat apud omnes civitates, quaecumque earum forma naturaque sit; quod cum reliquarum omnium legum, civiliumque conventorum veluti vinculum quoddam constituat, recte haberi potest tamquam tertia pars, a duabus, de quibus mentionem fecimus, diversa, quamquam ad utramque referatur.

XIX. Et haec est rerum partitio, quae, cum Paschalis Josephus de Mello eam adoptaret, facilem ei aperuit viam ad Jus Lusitanum digesta methodo tradendum. Quamvis autem diligens summumque studium, quod in Patriam Jurisprudentiam impenderat, simulque insita ejus industria, quam abundanter ei suppeditarent felicia illa subsidia pro connectendis educendisque facilius diversis legum sententiis, quae in ejus Institutionibus explicandae erant: tamen nec illa in dicendo vis, quae fere juris veritates in animi motiones, sensus, doloresque convertit, nec illa in subducendis rationibus effulgens demonstratio, quae in Operibus egregiis *Mably*, *Filangierii*, atque *Beccariae* nitent, ab illo sperari fas erat. Etenim Paschalis Josephus de Mello, spectata Conimbricensis Academiae consuetudine, in Jure Civili Lusitano tradendo eam me-

thodum sequi necesse habuit, quam Caius ac Justinianus in Institutionibus suis amplevi fuerant, Et haec antiqua docendi scribendique ratio, vi equidem illa destituta, qua animi adficiuntur evehunturque, quibus certe in rebus nostra aetate qui de moribus scripserunt vel maxime antecellunt, quamquam par sit veritati ad intellectum adducendae, non satis tamen idonea est ei ad cor usque dirigendae. Adcedit, quod Juris Publici scriptoris, qui de Jurisprudentia in genere, vel de ejus aliqua privata parte agit secundum propriae suae philosophiae principia, non eadem est conditio, quae Jureconsulti, qui in ordinem redigere curat cujusque populi jura, cujus leges, diversis remporibus latae, diversisque rerum ac consuetudinum vicissitudinibus adcommodatae, multorum saeculorum opiniones, et quidquid alio atque alio modo cogitatum philosophatumque, complectuntur; alter enim proprias suas cogitationes evolvit, easque in medium profert, prae oculis semper habens quod esse oportet; alter vero alienas, quantum in ipso est, in ordinem adducere contendit, spectans tantummodo ad id, quod re ipsa est: alter rerum naturam suspicit contemplaturque; alter vero earum statum: at nescio quo mortalium fato infortuniove fieri soleat, ut haec inter se parum fere conveniant.

XX. Statim atque in lucem prodiit primus Institutionum liber, in quo de Jure Publico Lusitano agitur, Paschalis Josephus de Mello maximis sollicitudinibus animique doloribus cruciatus est, quod quidem primum frequentissimumque est pro eorum laboribus quibuscumque literatis, qui nostra aetate ea, quae veritatem decet, et quae ejus inimicos tantopere terret, generosa ingenuitate scribere non verentur. Spectabilibus enim vocibus (*) vel spectabiliora jura reclamata sunt, nosterque Jureconsultus adcusatus eorumdem graviter vulneratorum: at Jureconsultus philosophicus limitibus natura positis signare curaverat jura illa, quae saepe saepius Principibus denegata disputataque fuerant: detecta igitur cognitaque re, tempestas, quae jam in eum fulmen jactare minitabatur, tandem aliquando evanuit.

(*) Curia Romana magnopere contendit, ut *Institutiones Juris Publici Lusitani* prohiberentur, quod negatum *Interpr. Adnot.*

Digitized by Google

XXI. In Jure nostro privato interpretando Paschalis Josephus de Mello eam divisionem, quam tria praecipua juris objecta, *Personae* scilicet, *Res*, et *Actiones*, sua sponte indicant, sequntus fuit. Et, ut ratio sibi dicendorum constaret, de singulis iis illa, qua solebat, concisione perspicuitateque singulos libros scripsit, in quibus omnia, quae ad tria haec juris objecta pertinere videntur, pertractavit. Adcuratior de ejus libris, quamvis breviter percursa, oratio, longius, quam per tempus licet, nos evadere fecisset. Rationes autem singulares, et huic Academiae maximo honori (7), nos breviores esse, quam in votis erat, et illam quae permagni interest, partem, ad Socii nostri pro Patria Jurisprudentia res gestas historice exponendas spectantem, opportunioribus temporibus reservare compellunt. Quod vero nos eo libentius facimus, quin inde vereamur, ne ejus promerita in minori, quam par est, opinione pretioque habeantur apud vos, aut apud illos, quibus aliquando haec mea, imperfecta licet, oratio legenda erit, quod Paschalis Josephus de Mello apud omnes Lusitanos multis jam abhinc annis notior est, et omni posterorum aetate meliori potiorique jure magis ex suis ipsius, quam ex alienis scriptis futurum speramus.

XXII. Non sunt tamen silentio praetereundae *Institutiones Juris Criminalis Lusitani*, quin eisdem aliquantulum adtente immoremur. Opus istud, cum ad illam juris nostri partem, quae et maxime hominum interest, et simul apud nos imperfectior est, spectaret, Jureconsulti nostri meditationes, pro eo ac debebat, serio religioseque occupavit. Quid? Auderetne Paschalis Josephus de Mello ante omnium oculos proponere, et ubique terrarum divulgare rigorem Codicis nostri Criminalis, in quo latores legum, criminum, quae perhorrescebant, timore omnino perculsi, ideoque in eis vindicandis semper asperi, semperque rigidi, poenas non eorum gravitate, justa, ut par est, ratione servata, sed ea, quam animo conceperant, eorum

(7) Refertur ad Principem nostrum, qui hac die publico Academiae coetui adesse dignatus est, quique jam ante Panegyrici hujus recitationem sex diversis de rebus commentaria, et Programmata omnia ab ipsa Academia in annum 1801, praemio proposita adtente audierat.

Digitized by Google

indignatione mensi sunt (8)? . . . Quid, Auderetne, iterum dicam, apud omnes gentes manifestare nimiam hujus Codicis severitatem, prae qua Draconis leges humanae

---

(8) Si autem quintus liber Codicis Criminalis Lusitani justa quidem de causa ob nimium suum cruorem notatur; illud tamen in laudem maximae partis Principum, qui rerum apud nos potiti sunt, merito fatendum nobis est, quod Lusitana Historia pauca admodum exempla profert pro exsequendis illis criminalibus legibus, in quibus delictum inter et poenam nulla habetur ratio. Et haec quidem observatio satis in nos auctoritatis conferre videtur, ut adseramus, quod legum nostrarum latores, cum atrocioribus poenis non nulla crimina vindicarunt, non tam civilem ipsorum criminum atrocitatem, quam vel maxime horrorem, quo in depravatos perditissimorum hominum mores intuebantur, prae oculis habuerunt: quem quidem horrorem merito in omnes cives transcendentem reddere conabantur, ut eos hoc modo ab illa morum depravatione liberarent, quae ex iis criminibus conjicienda, et quae est prima praecipuaque origo, ex qua omnia fere in civitate delicta emanant. Joannes V., Rex noster, pro hac opinione firmanda vel etiam fortius luculentiusque argumentum, quam constans plurimarum legum nostrarum non usus a Regibus, qui eum antecesserunt, toleratus tacitève adprobatus, nobis reliquit. Cum enim ad ejus aures perveniret, quod Ignatius a Costa Quintella, Regiae Domus et Curiae Praetor, Magistratus ceteroquin spectandus cum ob ejus scientiam, tum ob recti amorem, suique animi integritatem, longe severissimus esset pro legibus nostris criminalibus observandis celeriterque exsequendis, ad eum per Alexandrum de Gusmão in hunc modum scribi jussit:

*Illud te monitum Rex jubet, quod leges, cum valde mature tranquilleque scribi soleant, celeriter praematureque adimplendae non sunt: quodque in rebus criminalibus semper plus minitantur, quam reapse jubent, cum Magistratus, eas adimplentes, quantum maxime poterunt, ipsas in omnibus moderari temperareque debeant, potissimumque erga reos, qui accusatoribus carent: legum enim lator civium salutem, quam delictorum vindictam pluris facit; et a Magistratibus in legibus adimplendis majorem etiam, quam in eis continetur, severitatem procuratamque adinventamque nonvult.*

Hae literae, die 20. Januar. ann. 1745 datae, inveniuntur in Operibus Alexandri de Gusmão, apud quas vidimus omnes Collectiones MSCtas. Nos vero eas hic transcribi curavimus, non quod doctrinam, quae in ipsis continetur, omnino adprobare videamur; sed vel maxime quod Principi, qui eas scribi jussit, summo honori ac laudi sint ob humanissimam ejus animi mansuetudinem; et quod praeterea verissimum sint monumentum, unde probari potest, quo animo a Lusitanorum Regibus scriptae constanterque intellectae fuerint illae Codicis nostri Criminalis leges, quae magis contrariae videntur humanis illis principiis, quae recentiores Juris Criminalis scriptores inculcarunt, quaeque Paschalis Josephus de Mello amplexus est, et generatim atque universe hodie recipiuntur apud cultissimas quasque gentes.

Digitized by Google

fortasse viderentur (9), quin ejus acerbitatem condire procurasset benignioribus interpretationibus, quae magis conformarentur ad humaniora illa solidioraque principia, quae in perpetuum duratura Philosophiae sedulitas per haec nostra tempora stabilierat, ut apud populos cultos pro fundamento Jurisprudentiae Criminalis haberentur?.. Quanta autem maxima fuisset dissimilitudo, quae hinc nasceretur, cum immitibus placida coire repugnet; tamen Paschalis Josephus de Mello non nisi eam rationem recta sequi poterat ac debebat, quae leges nostras conjungeret cum principiis illis, quae tandem aliquando eis emendandis erant inservitura, et quae, eum interim Magistratus ipsas exsequentes illustrarent, ad poenarum saltem nimiam severitatem condimento quodam suaviori temperandam adducere possent.

XXIII. O fortunatam rempublicam, gentemque fortunatam, ubi summa rerum tali Principi inest, qualis justa ac benefica MARIA I., quae tantum abfuit, ut desperaverit legum nostrarum emendationem, ut potius ipsamet eam adamaverit, ipsamet consciverit Lusitanos Jureconsultos, qui in Juris scientia maximum sibi nomen comparaverant, ut ex concordi illorum consilio corpus Juris Civilis Lusitani reformaretur, et ad simplicitatem reduceretur!.. Fuit haec inclyta Regina, quae, cum probe cognosceret gloriam sibi immortalem futuram, si in bonum Lusitanae Gentis verteret lumina illa, quae frugiferae philosophiae beneficio e renatis in Europa literis etiam in sinum politices ac jurisprudentiae vicissim penetraverant, legum codicem et humanitate sua, et progressu cognitionum hujus saeculi dignum ad Lusitanum Populum beandum ordinare intentavit: quod vel solum intentasse nunquam satis laudandum. Rei vero huic, ut ille, quam

---

(9) Vide, sis, *Inst. Jur. Criminal. Lusit.* tit. I. §. XXVIII. et XXIX., et conferantur Ordinationes, de quibus ibidem facta mentio, cum axiomatibus, quae in eodem paragrapho XXVIII. habentur, et cum iis, quae inveniuntur apud Filangier. tom. IV. P. II. cap. XXV.; nos enim huic adnotationi finem imponimus his Paschalis Josephi de Mello verbis: *Neque profecto veremur audacter fidenterque dicere quod sentimus, regnante Maria I., et Joanne, Brasiliae Principe, summam rerum tenente.*

optabat, exitus contingeret, amplissimum Jureconsultorum coetum instituit, praeside Administro fidei suae digno virtutibusque ab omnibus spectato, quibus Patrium Jus reformandum commisit. Quod quidem Jus, cum elementis inter se aeque contrariis, constaret, atque erant populi, a quibus pedetentim opiniones consuetudinesque adcepimus, cumque ducentis abhinc annis non nisi aliqua ex parte emendationes ad sequeretur, quae, omnibus ejus naevis incorrectis, illud valde implicatum (10) reddiderant, praesenti rerum statui quam maxime repugnabat. Adeo dignum hoc erat, ut ad ipsum Augusta nostra oculos mentemque converteret. Cum vero ad Paschalis Josephi de Mello merita respiceret, eum e castris Conimbricensis Academiae abire jussit, et in egregium coetum pro novo legum codice ordinando cooptavit (*): quod aeque Fautrici nostrae gloriosum est, ac Socio nostro honorificum.

XXIV. Hujus maximi consilii eventus ob causas, quae in occulto latent, ad hunc usque diem desideratur. Quod certe quidem per Paschalem Josephum de Mello non

---

(10) Numerus legum nostrarum, quae post Codicem Philippinum latae fuerunt, et extra illum vagantur, supra quatuor millia longe praetergreditur: quarum aliae in publicis Regni tabulariis manu tantum scriptae condüntur: aliae in Operibus Jureconsultorum et Historicorum nostrorum editae tantummodo inveniuntur. Quot vero, quantaeque gravissimae confusiones ac perturbationes, quantaque impedimenta justitiae recte administrandae eveniant ex jure hoc volatico, huc illuc disperso et incerta sede vagante, et ex hac immensa legum silva, ne ille quidem ipse ignorat, qui jurisperitus non est.

(*) Ad ipsius jam pridem instituti Concilii de providendo legum novo codici deliberationem, quam roboravit die 10. Febr. 1783: et, Regiis literis ad eum scriptis 22 Mart. eod. anno, Olisiponem fuit accersitus, ut librum secundum Lusitani Publici Civilis Juris, eidem primum commissum, reformandum ordinandumque adciperet: eo absoluto, librum etiam quintum Juris Criminalis adcepit, expedivitque, prout ipse fatetur in Praefat. lib. II. *Inst. Jur. Civil. Lusit.*, ubi: *Cum enim*, inquit, *a nobis jam dudum expeditus sit novus Lusitani Publici Civilis Juris, et Criminalis Codex, nihilque amplius supersit quam tentaminis, quod dedimus, perfecta revisio*, cet. In iis duobus libris, ei sine collega commissis, absolvendis quinque ferme annos consumsit, re adhuc omnino integra intactaque ab illis eisdem libris prius destinatis. Ex Decreto 3 Febr. 1789 fuerunt nominati qui, re semel et iterum magnis contentionibus disceptata, quodcumque hujus codicis absolutum extabat, reviserent et examinarent. *Interpr. Adnot.*

Digitized by Google

est, qui omnia, quae ei commissa, confecit et absolvit, novum scilicet Lusitani Publici Civilis Juris, et Criminalis codicem. De meritis autem hujus laboris, quamquam ex reliquis, quae publicam viderunt lucem, ejus scriptis maxima cum probabilitate conjicere liceat, nihil est quod adfirmare, aut pro certo dicere audeamus. Ex temporis vero brevitate, qua opus ei demandatum expedivit, inferendum nobis nullo negotio est, quod si correctio nostrarum legum et emendatio ei soli omnino committeretur, Europa iteratum in Lusitania videret, quod in Prussia observaverat sub Rege Friderico, codicem vedelicet legum nostràrum expeditum, nomenque Socii nostri ubicumque terrarum ex aequo colendum, átque illud Magni Cancellarii Samuelis de Cocceii, Codicis Fridericiani (*) auctoris.

(*) Codex Fridericianus anno 1747, fuit institutus. *Rex Fridericus*, inquit Struvius *Biblioth. Jur.* cap. V. §. XII., *qui, auctore et adjutore summo viro Sammuele de Cocceii, Magno suo Cancellario, cui mortuo ex merito statuam decrevit Rex sapientissimus, subditis suis novum jus dedit, cujus* pars prima 1749., secunda 1751, *lucem vidit.* Et quod ad nòs adtinet, cum legum multitudo crevisset, indeque multae lites, difficultatesque juri dicundo, non secus atque ex multis medicamentis, multisque medicis multi morbi: Joannes I., Rex omni aevo memorandus, ad populi rogationem in comitiis novum earum codicem instituere jussit. Codex hic optimus, prout illa tempora ferebant, sub initium Regis Alphonsi V., Petro Infante Regni Gubernatore, in lucem prodiit, vel potius fuit absolutus. Eum inchoavit Joannes Mendes, Regiae Curiae Praetor, eoque mortuo, statim ut Eduardus regnare coepit, Rodericus Fernandes, qui Regi erat a consiliis, absolvit, recognovitquè una cum Doctore Lupo Vasques, Curiae Praetore, Ludovico Martins, et Ferdinando Rodrigues, Regis a consiliis. Vid. *Histor. Jur. Civil. Lusit.* §. LXX et Praef ejusd cod. Emmanuelinus probatae fidei codex Alphonsinum suscepit. Qui ejus omnes auctores, censores, quo anno inceperit, et quo primum prodierit, satis adhuc non liquet, *ibid.* §. LXXIV. et seq. Constat vero illius sub Joanne III. *revisio*, de qua videndum et notandum quod dicitur apud *Inst. Jur. Publ. Lusitan.* Tit. VI. §. XIX. Not. Philippinus subsequutus codex, quo utimur, meditatus anno 1580., fuit perfectus 1595, *ibid.* §. LXXXVII. Maria I., immortalis memoriae et gloriae Regina ex Decreto 31. Mart. 1778. Concilium instituit, ut legibus reformandis invigilaret, ad ipsamque de hoc deferret: simulque decem viros criavit, quibus id negotii dedit, ut ex omnibus, quae tum exstabant, legibus novum codicem nova methodo meliorique ordine in quinque libros digererent. Vide, sis, cit. Decretum, et *Histor. Jur. Civil Lusit.* §. CXII. Iis viris alii successerunt. Accuratiorem hujus codicis enarrationem aliis scribendam relinquo, cujus aliqua pars habetur in cit. Decretis 31. Mart. 1778., et 3. Febr. 1789. *Interpr. Adnot.*

Digitized by Google

XXV. Nova igitur haec amplissimaque provincia, Paschali Josepho de Mello data, eum a Conimbricensi Academia divellit, ubi duobus ante annis Juris Patrii Professor Ordinarius fuerat nominatus, et ubi pacatam, tranquillam tutamque vitam, quae literatos decet, degerat. Sed vero neque vacatio a docendi exercitatione, neque multiplicia, quae ei progressu temporis obvenerunt, quaeque diligenter obiit, publica munera, eum ab illa, quoquo modo potuit, pristina vitae ratione removere unquam potuerunt: Institutiones enim Juris Civilis et Criminalis Lusitani (11) amicorum auctoritate impulsus denique absolvit, et huic nostrae Academiae imprimendas concessit.

XXVI. Cum vero, ut perfecta uniuscujusque gentis jurisprudentiae cognitio habeatur, omnino etiam cognoscantur necesse sit non tantum mores institutaque populorum, a quibus gens ipsa originem ducit, aut quorum sub imperio fuit, sed etiam progressus scientiarum, et quomodo ex iis opiniones fuerint immutatae, legesque perfectae: Paschalis Josephus de Mello, ut scriptis suis nihil deesset illorum, quae utilitatem adferrent, hoc in se opus sponte suscipiens, Historiam Juris Civilis Lusitani, primitias laborum, scripserat. Quot, quantasque difficultates huic rei adtulerit negligentia incuriave majorum, optimi perfectionem atque absolutionem in omnibus difficilem habeat, iis studiis deditus ignorat nemo. Cum enim rerum gestarum memoriae ac documenta aut plerumque nulla invenirentur, aut pauca illa, quae ex remotis temporibus ad nos usque pervenerant, huc illuc admodum dispersa essent: fieri non poterat, ut qui hoc tam arduum opus primus adgrederetur, illud ad summum usque perfectionis fastigium efferret. Quod maximi certe ponderis erat ad

---

(11) Paschalis Josephus de Mello, dum Juris Patrii Cathedram apud Conimbricensem Academiam exornavit, *Historiam Juris Civilis Lusitani* scripsit, cui adcedunt, ab eodem scripta, capita duo *de Jureconsultis Lusitanis*, et *de recta Patrii Juris interpretandi ratione*: ibidem etiam scripsit *Juris Lusitani Institutionum* libros tres, in quibus *de Jure Publico*, *de Jure Personarum*, et *de Jure Rerum* pertractatum: Institutiones vero Juris nostri, in quibus *de Obligationibus et Actionibus*, et *de Jure Criminali* agitur, Olisipone scripsit, ubi etiam libris apud Conimbricensem Academiam scriptis extremam imposuit manum.

Digitized by Google

excusandum Socium nostrum, si quit non ita ad unguem elaboratum in Juris Lusitani Historiam irrepsisset. At ne eo quidem ipso censuram non omni solum indulgentia destitutam, sed nimia quoque acerbitate plenam effugit. Vir enim doctus (*), quem ob eruditionem in scientiis

---

(*) Antonius Pereira de Figueiredo, Theologus Regiae Curiae Censoriae pro examine et censura librorum Deputatus, Censor ille fuit, cui ipsa Regia Curia *Historiam Juris Civilis Lusitani* examinandam censendamque commisit, quique multa in ipsam non sine bile notavit, et ita acerbitatis virus potius in Scriptorem, quam in ejus opus evomuit, ut ab aliquo obtrectatore censura scripta videretur. Nam asperiore, quam parrerat, stylo in Jureconsultum invectus, censuram in duas partes distribuens, primum peccata, quae *omissionis*, deinde quae *commissionis* nomine signavit, vehementer carpsit. At enim istaec in Censorem faba cudi visa: cum enim omnia communia facta fuissent Auctori, bona fide singulis sapienter et cumulatissime satisfecit. 1) In Adnot. ad §phum XIX inveniebatur in MSCto: *Isidorus*, *et Idacius*, *Hispalenses Episcopi*. Censor hoc acriter adcusavit, non aliter, quam si Reipublicae salus verteretur, adfirmans cum ipso S. Isidoro Hispalensi *de Vir. Illustrib.* cap. 9. Idacium Gallaeciae Episcopum fuisse. Auctor concessit Idacium Hispalensem Episcopum non fuisse, hocque omnibus notum esse; sed reposuit primum, quod cum in autographo scriptum esse: *Hispanienses Episcopi*, librarii incuria irrepserat: *Hispalenses Episcopi*, quod facillimum erat: deinde quod, etsi Censor, Isidori opinionem sequutus, *Idacium Gallaeciae* Episcopum faceret, id tamen non extra sapientum controversiam positum esse adseruit: nam alii, ut ait Andreas Schottus in *Praef. ad Chron. Idac.*, eum fortasse *Emeritae*, vel *Lamecae*, seu, prout legitur apud Sigebertum, *Lemicae* in Lusitania, vel *Ossonobensem* in Baetica (seu *Sossobensem*, corrupto vocabulo; *Ossonoba* enim Lusitaniae urbs antiqua fuit), alii vero *Flabiarum* Episcopum existimant. Joannes Vasaeus in *Chron.* ad ann. 420.: *Sed nomen*, inquit, *urbis*, *cujus dicitur fuisse episcopus* (Idacius), *neque in conciliis antiquis*, *neque usquam alibi invenire potui*. *In Alcobatiensi Codice antiquo dicitur Idacius Gallaeciae episcopus*. *Proinde suspicor in Sigeberto legendum*: Lamecae Hispaniarum urbis episcopus. *Nam episcopatus Lamecensis perantiquus est*, *ut ex conciliis patet*, *et ea Portugalliae pars olim Gallaeciae tribuebatur*. *Sed ego hoc in aliorum judicio relinquo*. Haec igitur, quae nihil referunt, videant Theologi et Canonistae, quibus otium est. 2) Notavit etiam Censor, quod *Alphonsus Sapiens* in MSCto dicererur XI, cum dicendus esset X. Auctor reposuit primum hanc computationem, a Censore sequutam, tametsi meliorem, non ita indubiam esse, ut censebatur, cum alii illam, quin incurrant in censuram erroris, sequantur; deinde se eo, quo satis cognitus, cognomento *Sapientis* Alphonsum designasse. Et haec tantum duo ingenue concessit Auctor, in quibus Censor laureolam in mustaceo quaesivit; reliqua vero omnia ea, qua solebat, nervose lucideque dicendi ac demonstrandi vi strenue oppugnavit. Regia Curia, perpensa censura ejusque oppugnatione, pro-

Digitized by Google

ecclesiasticis, literaturaque Lusitana omnes suspiciebant, vir denique, quam in Sociis nostris numerandi honorem habuimus, quemque ex patria, et ex Academia nostra jam sustulit mors, rigidus ille fuit censor, qui in Jureconsultum calamum stringens, parum abfuit, quin rempublicam literariam hoc, quod permagni ipsius interest, opere privasset. Sed vero Paschalis Josephus de Mello, cui ex lege censura communis facta, ea modestia moderationeque usus, quae sapientum propria ac solennis, ad singula statim respondit: et iis, quae justa videbantur, ingenue concessis, reliqua strenue confutavit. Academia autem pro vero sustinendo, quod debebat, fecit. Cognita vero re per integros nullique gratiae obnoxios judices, ii pro Historia Juris Lusitani evulganda sententiam tulerunt.

XXVII. Paschalis Josephi de Mello labores, factaque illustria Principes nostri susque deque non habuerunt: ei enim, multis honoribus muneribusque (*) collatis, gratiam

---

Historia Juris Lusitani edenda judicavit: at Censor, nova bella movens, rem ad Regium judicium immediate deferri postulavit: facta igitur, prout postulaverat, consultatione, Regiae Coronae Procurator hac de re audiri jussus est. Emmanuel Franciscus a Silva Veiga Magro de Moura, vir in humanioribus literis, et in juris disciplinis apprime doctus, qui tunc temporis Regiae Coronae Procuratori adjutor erat, pro Historia Juris nostri edenda respondit, recognovitque omnibus a Censore notati a Scriptore factum satis superque: recognovit Historiam Juris nostri digesta ac perspicua methodo elaboratam, ejusque Scriptorem stilo rei proprio, et, quantum res ferebat, cultiori usum fuisse, uti sperandum erat ab illo, qui in veterum Romanorum scriptis, illorumque legibus pervolvendis versatissimus erat: recognovit novam formam, eamque venustiorem ac humaniorem a Jureconsulto nostro civilem apud nos scientiam induisse, et novam ab eo scholam aetatemque juri nostro inchoandam; qui enim ad haec usque tempora de Patrio Jure scripserant, inculto ut plurimum, negligentique stilo, cujus taedet omnes cultioris latinitatis studiosos, usi fuerant: recognovit denique opus et re, et auctore suo dignum: et hoc modo res haec plus agitata, quam inter grammaticos, finita fuit, Censorque, edito Opere, litem perdidit. *Interpr. Adnot.*

(*) Josephus I. eum nominavit Beneficiarium S. Joannis Baptistae in oppido *Coruche* 12. Jul. 1772., creavit Professorem Extraordinarium Juris Patrii 11. Septembr. 1772: Maria I. decrevit portucalensem Senatorem *honorarium* cum facultate adeundi Senatus in vacationibus Academicis 18. Mart. 1778., Ordinarium Professorem Juris Patrii 27. Octobr. 1781., Bullae Cruciatae Deputatum 14. Novembr. 1783., Senatorem *honorarium* Curiae Supplicationis pro gravaminum decisione 12.

Digitized by Google

tiam retulerunt. In iis vero non parum eidem aegritudinis futurum quis crederet? Sed ea Principibus fortuna non numquam est, ut quo magis bene merenti cuique gratiam referunt, eumque honorant, eo majorem in illum inimicorum numerum lacessunt! Ea nimirum cujusque literati plerumque etiam infelicitas est, ut, si in magnis obeundis muneribus, quae patriae debet, invenit solvendi solatium, inveniat quoque tranquillitatis jacturam, felicitatisque in-

---

Febr. 1785., Ordinarium ejusdem Curiae Senatorem 31. Mart. 1787., Regiae Curiae pro examine et censura librorum Deputatum 20. Jun. 1787., Professorem emeritum Juris Patrii 14. Januar. 1790., ejus designationem ab Excellentissimo Inquisitore Maximo factam ad supremum Regiumque Sancti Officii Consilium Generale ratam habuit (jam a die 26. Febr. 1773. Deputati Extraordinarii munus obierat apud Conimbricensem Olisiponensemque Inquisitionem), eoque creato Consiliario ac Deputato ejusdem Tribunalis ab Excellentissimo Inquisitore ex Provisione 5. Maii 1793., exinde etiam Regium Consiliarium ex lege declaravit 17. Maii 1793. Canonicatus apud cathedralem Egitanensem, Pharensem, Bracarensemque Ecclesiam, spectantes ad Regium Conimbricensis Academiae patronatum, servato juris ordine, tantummodo ut ejusdem Academiae Doctor habuit: Petrus III. Rex Deputatum Conventus Melitensis 2. Novembr. 1783., Magni Prioratus Cratensis Provisorem 22. Aug. 1785., Curiae Prioralis Cratensis Deputatum eodem die: Joannes, nunc Lusitanorum auspicatissimus Princeps Regens, Infantatus Curiae Deputatum 21. Aug. 1786. Ab anno 1757, quo Doctoris gradu insignitus, usque ad annum 1783., quo ad Olisiponem vocatus, admodum raro vacavit ab adsiduo arduoque apud Conimbricensem Academiam docendi munere, si non nomine, re tamen ipsa, et ad laborem quod adtinct, Ordinarius Professor: nam anno 1758, statim in locum Professorum fuit suffectus, et Institutionum Juris Civilis Romani cathedras, per ea tempora laboriosiores celebrioresque, quatuor integris annis exornandas suscepit, itemque vespertinam, et Codicis, aliasque sine ulla ferme intermissione. In Juris Lusitani scientia tradenda, quae et dignitate sua, et utilitate, et tunc temporis dificultate primo loco numeranda, a principio anni 1774. usque ad annum 1783. se exercuit, illamque enucleavit. Etenim *Institutiones Juris Civilis Lusitani cum Publici, tum Privati*, quas apud nos primus scripsit, et quibus in Patrio Jure tradendo apud Conimbricensem Academiam ab anno 1774. usus fuerat, paulo antequam novi ab eo scripti Codicis censores nominarentur, statim edendas curavit, quibus postea addit Institutiones *de Obligationibus et Actionibus*, et *Juris Criminalis Lusitani*, ut universum jam apud nos constitutum jus illustraretur. Cum vacassent una e cathedris Institutionum Juris Civilis Romani anno 1759., vespertina 1765., secunda ex Analyticis, aliaeque Juris cathedrae 1780., competivit sd eum modum, qui in Conimbricensis Academiae legibus statuitur. *Interp. Adnot.*

sortitum! Is enim dies noctesque meditationi et studiis deditus, grato illo innocentique amore ac voluptate veritatis contemplandae manifestandaeque trahitur duciturque; et, sibi recte factorum conscia mente, omni animi tranquilli rectaeque conscientiae dulcedine fruitur: at vero si ab hac jucunda, quamquam semper actuosa laboriosaque, vita removetur, et publica ei munera deferuntur, tunc invidae obtrectationi injuriisque objectus illorum, qui, nullis reipsa meritis, nullaque virtute praediti, omnem movent lapidem ad publica munera occupanda, vel potius dedecoranda, et illorum, qui, cum ea jam immerito occupaverint, bonam de se, etsi male meritam, existimationem, larva detracta, deletam timent; qua fruebatur, animi securitate statim se privatum sentit. Et cum literas inter ac civitatis, quae ei denuo obtigerunt, officia divisus sit, nihil ei temporis reliquum est ad investigandas latebras tortuososque recessus, perquos furtim insidioseque in eum impetum faciunt, et, tamquam ex equo Trojano, ruunt invaduntque inimici: cumque fieri non possit, ut eis in progrediendo obviam eat, sui ipsius conscientiae praeclaro testimonio fretus, interdum harum sibi callide structarum machinationum futuros quoscumque exitus impavide sperat; interdum vero, quia illum, cujus telis jaculatur, detegere nequit, astutos calumniatores indignatus, ipsos, ut publice cum eo ad congrediendum veniant, lacessit, perinde atque Aiax apud Homerum (*), qui cum in se indefensum et densa tenebrarum caligine obrutum fulmina torqueri, sentiret, diis ipsis irascendo, eos lacessebat, ut depulsa caligine, secum aperto marte congrederentur. Captis igitur consiliis semper decoris pariter ac non satis idoneis ad detegendas machinationes, quae non nisi cum integra nominis sui ruina tandem aliquando ei aperiuntur, aut fidenti generosoque animo infeliciter gradietur ad mortem, aut innumeris sollicitudinibus ad feretrum usque exagitabitur.

XXVIII. Hanc Paschalis Josephi de Mello fortunam fuisse nos adfirmare non audemus: hac autem in re illud tantummodo certi habemus, eum maximis curis confici

(*) Iliad. lib. XVII. v. 645. *Interpr. Adnot.*

Digitized by Google

ab illo usque tempore, quo, cum rumoribus quibusdam adsentiret, benigno Principi nostro, qui ejus preces benigne bonaque cum venia semper audierat, supplex fuit, ut eum e munere Provisoris Magni Prioratus Cratensis missum (12) faceret: quod ejus interitum maturasse non nulli sibi persuasum habent.

**XXIX.** Utcumque tamen se res habeat, quorsum haec? quorsum, inquam cum Paschalis Josephi de Mello in literis labores scribere conamur, ad illa, quae ei injucunda, orationem convertimus? Quo conditur loco vir bonus, humanus, beneficus (*) atque illustris, qui stu-

---

(12) Decretum, quo Augustus Princeps noster hanc, quam efflagitaverat, missionem ei concedere dignatus est, ita se habet: *Perspectis iis, quae a supplice ad me referuntur, habitaque ratione illorum, quae coram me verbo palam fecit, cum prae oculis habeam, quod Paschalis Josephus de Mello de me optime sit meritus in obeundis muneribus Deputati Regiae Infantis Domus, et Curiae Prioralis, nec non et de Regina, Domina ac Matre mea, non tantum in novo legum codice ordinando, sed etiam in reliquis, quae ei commissa sunt, reipublicae muneribus, quibuscum munus Provisoris Magni Prioratus Cratensis exercere ei molestum est: cumque ei gratum facere velim, sponte apud me factam praedicti muneris missionem atque abdicationem ab eo recipere mihi placet. Quod Curia Prioralis, ac veneranda* Assemblea *ita intellectum habeat. Datum Mafrensi Palatio die* 10. *Septembr.* 1790.

(*) Merito hic ejus erga omnes humanitas, sub qua beneficentia, liberalitas, et reliquae virtutes continentur, commendanda est; in iis enim hominum virtutibus, quas christiana caritas, ac Religio, qua nihil prius illi, nihil antiquius fuit, informaverat, valde excelluit, ut satis patet ex ejus editis Operibus, potissimumque ex *Institutionibus Juris Criminalis Lusitani*, in quibus sparsae inveniuntur. Multa nos silentio praeteribimus, ut ejus etiam tumulo conditi naturalem modestiam verecundiamque observare et diligere videamur. Nemo vero apud nos ignorat, quod omnia, quae in ipso erant, non tantum amicis, quibus semper gratissimus fuit, sed etiam quibuscumque aliis, quin suum genium in hoc sibi unquam defraudare liceret, veluti communia fuissent. Quod autem ad me adtinet, illud ei solum (multa enim sunt, neque ad singula venire licet) maximum certe beneficium adceptum refero, quod me, gradu Licentiati apud Conimbricensem Academiam in Jure adepto, ad jucundissimam ejus consuetudinem arcesserit, qua cum mihi uti fruique licuerit, Juris studia, eo praeceptore, veluti de integro mihi ineunda fuerunt. Non nullos alienos suis expensis instituit: quibus potuit, omnibus, ac potissimum tenuioribus, profuit, et, ut Terentianus ille Chremes, *humani nihil a se alienum putavit*, quod in ore et in pectore habebat. Quotus vero quisque est, qui haec parvi ducat? Sciebat equidem homines hominum causa generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesent, et nemini nocerent. Plautini illius memor,



Digitized by Google

diose curavit, ut patriae prodesset, Regiaeque in eum munificentiae gratus, quae ab illo sperabantur, solvit,

---

*Virtute ambire oportet, non favitoribus*, omnia reipublicae munera quaecumque explevit, a Regibus nostris, amicorumve, quorum illi omnes boni fuerunt, officiis, quin ea unquam exquireret, obtigerunt! minime enim eos decere putabat, qui, ut publica munera occupent, Graeculis esurientibus et otiosis simillimi, non aliter atque ardeliones huc illuc concursantes, potentiores circumvolitant, se se eo ipso indignos prodentes. Multum temporis amicis inimicisve, multum animo dabat: nihil in eo unquam fortuna mutavit! Summa ei in scribendo facilitas et ingenium ad omnia promptum, sive iis, quae imperabantur, sive quae in amicorum, quibus summe officiosus, gratiam, sive quae ipse in se sponte suscipiebat. Quae ejus scripta publicam non viderunt lucem, majora sunt, ac meliora. Omnes animi cogitationes, festinante calamo, fere sine litura promebat, sive latine, sive lusitane scriberet; omniumque, ut sapientis est, parcissimus aestimator, eisque cuilibet impertiendis libenter facilis. Plus temporis in cogitando, quam in legendo insumebat: et quae semel mature cogitaverat ac scripserat, meliora ut plurimum existimabat, eaque vix, aut ne vix quidem coërcebat, quod ei aliquoties vitio vertebatur ab illis, quibus ne ipse quidem Demosthenes satisfacit, qui, aliena tantum sinistre carpentes, dum optima quaeque invita licet natura sequuntur, semper eis, ut aiunt, aqua haeret, et nihil omnino adsequuntur. Nullius in verba jurabat, et quod sentiebat, gratum foret, an ingratum, libere audacterque sed ubique modeste ac digne dicebat, scribebat, agebat. Fidem atque veritatem (nunquam enim ei virtus post nummos, nec utile, nisi quod honestum) religiose servabati, immemor Terentiani illius: *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Multa comitate, morum suavitate, in jocando lepore ac festivitate, in sermone urbanis salibus praeditus erat: scurrilem vero jocum, et ridiculum, sycophantiam, fastosamque superbiam, et quae semidoctorum, qui dii sibi videntur, propria vitia sunt, odio habebat. Tantum existimationis in ipso honore ponebat, et ita hominis dignitatem ac decus amabat, ut illud a quocumque ei laesum aegre ferebat. Hae animi virtutes egregium quoque Senatorum designant, et judicem, qualis ipse fuit, omnibus nimirum aequum integrumque, in adeundo facilem, et in muneribus officiisque obeundis ita adsiduum ac diligentem, ut labore refici ac reparari videretur. Litigatores de judice non verebantur; leges enim servabat, juraque aequabiliter describebat, et nihil contra jusjurandum ac fidem, ne si de ipso quidem amico judicium ferret, aut in amicos indulgens, nisi salva fide exsequebatur: sciebat enim se gerere personam justissimi Principis, ejusque dignitatem ac decus sustinendum, justitiaeque maximam esse vim, ac propter semetipsam colendam: nam, ut bene ait Cicero, *si latronum etiam leges esse dicuntur, quibus pareant, quas observent*, quanto magis inter bonos, et inter judicia in bene constituta civitate? Tenuiores, eo judice, injuria prohibebantur. Haec omnium de eo sententia est, etiam cum tumulo conditur: talemque eum esse credendum, qualis ejus fama est, confidenter adserere non dubito; nam, ut auctor est Plinius in Panegyrico, quem Trajano dixit: *Nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* Interpr. Adnot.

Digitized by Google

eodem etiam loco condantur, quae ei aegre fuerunt, vera, an falsa. Et si qui ei fuerunt inimici, eis animi stimulus morsusque reliqui sunt, quod Lusitaniam, literasque tam bene merenti cive praemature orbarunt: nobis vero, amisso tam digno Socio, moerores supersint.

XXX. Lusitanus Jureconsultus, qui vivit, vivetque, die vigesimo quarto Septembris anno millesimo septingentesimo nonagesimo octavo nobis fuit ereptus, aeternum sui desiderium consanguineorum (13), amicorumque animis infixum relinquens(*): alieni quamplurimi ejus morti illacrimarunt: alii, quibus cum eo nullus usus, elogia ei super supulcrum scripserunt: alii vero elegiis eum planxerunt. Quae quidem doloris clarissima aeque atque incorrupta testimonia, cum nec grato animo, nec de aliquo bene merendi studio tribuenda sint, illam, qua apud omnes habebatur, existimationem demonstrant, quam optime meruerat ingenio et virtutibus.

---

(13) In primis hic referendus Franciscus Freirius a Silva Mellius, Olisiponensis Inquisitionis Deputatus, qui nos certiores fecit de authenticis illis instrumentis, quorum fide nituntur quae scripta relinquimus, quique constantis perpetuaeque desideratissimi avunculi amicitiae memor, diligentius meliusque curavit, ut ejus nomen posteritati traderetur illo veritatis honorisque fastigio, quod ei jure meritoque debetur.

(*) Jacet Olisipone in Sanctae Rosae Limanae sacello, quod nunc pro paroecia Sancti Georgii est, ubi Eminentissimus Cardinalis, Patriarcha Olisiponensis, Josephus II., Praesul omnium virtutum genere excultus, bonarum artium, optimarumque disciplinarum, quibus apud Conimbricensem Academiam sapienter praefuit, patronus, literis longe honorificis die 10. Novembr. 1800. datis, hoc ei epitaphium poni libenter permisit (*Interpr. Adnot.*):

AETERNAE . MEMORIAE
PASCHALIS . JOSEPHI . MELLII . FREIRII
OPTIMI . CIVIS
ET
IURECONSULTI
IMMORTALITATE . DIGNISSIMI
SACRUM
QUI . NATUS . POSTRIDIE . NONAS . APRIL. cIↄIↄccxxxvii
OBIIT . OCTAVO . CALENDAS OCTOBR . cIↄIↄccLxxxxviii
DULCISSIMO . AVUNCULO . SUO
BENE . MERENTI
POSUIT
FRANCISCUS . FREIRIUS . A . SILVA . MELLIUS

Digitized by Google

Digitized by Google

# MARIAE I.ᵃ,

LUSITANIAE ET ALGARBIORUM

# REGINAE FIDELISSIMAE,

AFRICAE, AETHIOPICAE, ARABICAE,

PERSICAE, INDICAE,

LITERARUM ARTIUMQUE

PATRONAE,

**PASCHALIS JOSEPHUS MELLIUS FREIRIUS**

PERPETUAM OPTAT FELICITATEM.

*Patrocinium Tuum quaerit libellus, MARIA, REGINA FIDELISSIMA, qui Lusitanarum Legum historiam, et Regni Jura sacrosancta complectitur, cum publica, tum privata. Is nimirum inter alia continet Legem Regiam, quam Alphonsus Henricius, Lusitanorum Regum Parens, sexcentis abhinc annis, et quod amplius excurrit, ad universi Populi relationem edixit. Et haec scilicet sacratissima illa Lex est, quae Te hodie, maxima omnium gratulatione, Lusitani, qua late patet, Imperii Dominam, atque Heredem effecit. Con-*

Digitized by Google

*tinet plures alias Majorum Tuorum, et in primis Josephi, Magni Patris Tui, Leges, quibus ille Lusitanam Rempublicam reddidit in dies meliorem, et demum suis curis ac vigiliis immortalem paene reliquit. Nulla profecto Civitatis vel minima pars est, sive Religionem ipsam spectemus, qua nihil prius illi, nihil antiquius unquam fuit, sive Militiam, Commercium, Agriculturam, sive res alias minutissimas, quae multum ei se debere non fateatur: sed vero Academia Conimbricensis, quod sincerum nativumque politioris Literaturae gustum in omni Scientiarum genere contra varias temporis vices et injurias restitutum vidiat, et quod literatis tot hominibus, et tam magnis reditibus abundet, Conditori suo, et Parenti munificentissimo Josepho I. debet, qui multo quidem benignior in eam fuit, et plura uno die donavit, quam priores Reges liberalissimi multis saeculis. Sciebat enim quod, florentibus, cadentibusve literis, Respublica floreret, vel caderet: quippe adeo inter se arctissima colligatione devinciuntur, ut, illa si abfuerint, Civilis Societas nulla sit, sed rudis hominum coetus. Itaque, postquam pro sua eximia sapientia egregia multa constituit, quibus supremam suam auctoritatem sartam tectamque servavit, et Reipublicae tot inveterata vulnera, quae difficilius, quam nova et repentina, curantur, sanavit; ad studia literarum emendanda, quae felicitatem Patriae omni aevo stabilem reddidissent, animum adjecit: et instauratis prius iis Artibus, quae singulari nomine* Bonae *adpellantur, ad severiores deinde, gravioresque Disciplinas se contulit, eisque tradendis tales Academiae leges dedit, quales ipsa maxime desiderabat. Et quoniam Lusitaniae nostrae Leges nobis colendae sunt praecipue, ut*

Digitized by Google

*institutioni tandem Civium Colophonem imponeret, Lusitani Juris Scientiam, omnium maxime necessariam, creavit: ex quo uno tam praeclaro instituto quot, quantaque bona jam nobis nata sint, quotque in posterum sperare possimus, nemo non intelligit. Neque enim, utut evolvi oporteat aliarum quoque Nationum Leges, quae aut magnitudine rerum gestarum, aut prudentiae potissimum laude floruerunt, in externis hisce, et antiquatis consenescendum. Haec namque permulta licet habeant usibus etiam nostris adcommodata, ita, quin plura offerant adversa, nemo inficiabitur; nec item, quocumque demum modo philosophemur, quin patriis sit moribus, legibusque vivendum. Iis ergo commode tractandis, cum Historia Juris nostri specialis, et Institutiones ad artis formam compositae omnino necessariae esse videantur, statim initio ego operam dedi, ut rei utriusque si non verum opus, operis saltim normam, et specimem aliquod darem, quod sub Parente Tuo institutum, Te regnante, in lucem prodire audet; et, cum ei fuerit mirifice adceptum, apud Te, Paterni Regni, et Paternarum, maximarumque virtutum Heredem, adceptum non minus fore confidit. Enim vero Academiam non Tu minore, quam Pater Tuus, imo majore, si major esse potest, favore benevolentiaque prosequeris. Eam quippe principio Imperii Tui auspicatissimo sub Tuam fidem ac tutelam recepisti: quo facto, et Tuam in nos propensam voluntatem significasti, et literas omnes bene de te sperare jussisti. Itaque Academia tanto Parente orbata ad Te mentem oculosque convertit; et in maximis suis doloribus hoc solotio utitur, quod Te veluti Matrem contemplatur: et hoc suavissimum quidem naturae*

*nomen majorem gignit amorem ac fiduciam. Ego vero quoties repuio in nos et studia nostra egregiam illam voluntatem Tuam, in offerendo vel tenui munusculo confirmari me sentio; nec dubito quin illud benigne respicias: adjuvare enim non nihil potest novam Juris Patrii Scientiam, et ad majora invenienda aditum pandit. Sunt etenim initia rerum plerumque infirmiora: tam recentior est Academiae Tuae constitutio, ut vix quidquam sperari possit, quod opere jam perfectum sit. Quare adcipe, Regina Fidelissima, libellum hunc, studiorum meorum primitias, et unius anni fructum quamvis per exiguum: quem, supremae Tuae Dignitati, et meo officio quamquam longe imparem, si tamen exstitisse Tibi non prorsus ingratum intellexero, inchoatum opus perficiam, et ad majora sane properabo Lusitanae Juventutis in gratiam edenda. Et si nihil aliud quidem, saltim observantiae tesseram meae, et laborem conatumque meum Tibi offerre liceat, et re aliqua significare, quantum non dicam ego, sed mei praesertim ordinis homines, qui meliora in lucem edere Tuo sub Nomine meditantur, pro viribus adlaborent, ut vice sua perdiligenter expleta, Regia benignitate non prorsus indigni judicentur. In magnam autem spem venimus omnes, et a Te vehementer etiam atque etiam contendimus, ut rem universam literariam, et maximarum, maximeque utilium Scientiarum reparationem, quod opus, omnium pulcherrimum, Josephus, Magnus Pater Tuus, tam prosperis initiis adgressus fuit, et longa adversa valetudine, ac demum morte praeventus perficere atque consummare non potuit, Tu hereditario veluti jure perficias, foveas, amplifices, et ad finem usque perducas. Id a Te*

Digitized by Google

*Academia, et boni quique omnes exspectant, et enixe Deum Optimum Maximum precantur, ut Te diu Civium Tuorum commodis, Literarum praesidio, et Imperii firmamento servet incolumem.*

Conimbricae Calend. Decembr.
M.DCC.LXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

# PASCHALIS JOSEPHUS MELLIUS FREIRIUS

## JURIS PATRII IN ACADEMIA CONIMBRICENSI

## AUDITORIBUS

## S. P. D.

BEne ac sapienter novis Academiae legibus cautum sancitumque fuit, ut ultimo Canonici, Civilisve Juris anno, vos, Adolescentes optimi, Juri Patrio in primis audiendo operam daretis. Id inter alia antiquatis Academiae legibus vitium erat, quod peregrina dumtaxat jura explicanda proponerent: Lusitanum vero aut omnino omitterent, aut non nisi breviter et in transcursu explicandum curarent. Nunc vero a Rege Augustissimo Patria Jurisprudentia una cum Civili, et Ecclesiastica, ceterisque disciplinis in Academia restituta, vestrum jam est. Auditores, in eam toto animo et pectore incumbere, et Fidelissimi Regis, nostrorum commodorum amantissimi, desideriis, Parentum, Praeceptorum, Amicorumque exspectationi, et Patriae denique ipsius spei, quae vobis oculis ipsis carior esse debet, continuo studio, multis vigiliis, et adsidua adplicatione respondere.

Jureconsulti officium non in sola Romani Canonicive Iuris, neque in sola Juris Patrii cognitione versatur. Praeclaro hoc nomine ille tantum dignus est, *qui*, ut Ciceronis verbis utar (*a*),

(*a*) Cic. lib. 1. *de Orat.* cap. 48.

Digitized by Google

*legum, et consuetudinis ejus, qua privati in civitate uterentur, et ad respondendum, et ad agendum, et ad cavendum, peritus esset.* Utroque nos Jure Civili, Canonico, et Patrio in civitate utimur; utriusque igitur scientia Jureconsulto necessaria est. Video domestica tantum Jura non nullis placere; quibusdam in deliciis esse Canonica tantum, vel Civilia; alios vero, hos inter veluti erciscundos, in id operam dare, ut utrumque Jus eisdem principiis conjungant, et inde nescio quam effingant Romano-Lusitanam Jurisprudentiam. Neutri tamen, Auditores, rem acu tetigisse videntur. Non primi, quia Patria Jura peregrina multa habent jam dudum civitate donata, quae e fontibus, unde hausta sunt, explicare oportet: non secundi, quia leges nostrae singularia multa continent nobiscum nata, quae frustra quaeres in Romuli, aut Quiritium solo. Non omnis fert omnia tellus, neque civitas una ab alia magis aëre, fructibus et natura differt, quam legibus et moribus, ut quae uni prosunt, alii multum obesse videantur. Magis et vehementius errant, qui utriusque Juris Romani et Patrii principia conjungunt, et in suavem quandam concordiam reducere conantur. Operam ii certe et oleum perdunt: quomodo enim, quaeso (ut rem vel uno exemplo declarem), pacta successoria, quae legibus nostris, praesertim novissimis, tolerantur, pactiones illustres, ne bona extra gentem, familiam, et adgnationem veniant, communio bonorum inter conjuges, securitatis et respirationis literae, cetera Lusitanorum propria instituta, quae referre longum esset, cum Romanorum priscis conjungenda sunt legibus, in quibus vel nullum, vel exiguum admodum praesidium habent?

Digitized by Google

Neque in sola legum theoria, et mera earum contemplatione adquiescite, aut in solo usu et praxi; sed scientiam utramque conjungite, Auditores. Quoddam Semi-Jureconsultorum genus est, quos mere theoreticos adpellant, qui, sola Romani Juris cognitione contenti, Academicis tantum subtilitatibus delectantur, verborum et Juris apices sedulo investigant, et syllabarum literarumque anfractus, abjecta omni de adplicatione et usu legitimo sollicitudine, per totam vitam aucupantur, quasi si nihil aliud unquam acturi essent. Jam dudum Antonius Faber (*a*), magni nominis Jureconsultus, conquestus fuit sua aetate non nullos exstare, *qui in tradenda disciplina ne Papiniano quidem, ut videbantur, inferiores, si quando tamen ad praxim deveniendum fuit, vel de minima re interrogati, aut obmutuisse, aut tam inepte respondisse memorantur, ut rudioribus Pragmaticis praebuerint se ridendos.* Ne otiosos, inutiles, et aridos hos homines imitemini, Adolescentes, qui, si Juris quidem periti, Jurisprudentes et Consulti certe non sunt. Quid enim turpius Juris Doctori esse potest, quam ipsarum legum, quarum scientiam profitetur, usum et praxim ignorare? Quid magis indecorum, quam Causidicos, Proclamatores, Rabulas, ceterosque fori balatrones adire, eos adtente auscultari, consulere, de Jure respondentes serio audire, et ab eis enixe postulare, ut actiones suas et exceptiones forment, et litem suo tantum judicio agant ac defendant? Miseri profecto Jureconsulti, qui nec sibi, nec aliis possunt providere.

---

(*a*) In. Epist. Dedicat. praemiss. tom. 1. *de error. Pragmat.*

Digitized by Google

Ne illorum vos moveat exemplum, Auditores: fructuosa sit vestra Jurisprudentia, et studia, labores, ac sudores vestros ad verum semper emolumentum atque utilitatem componite.

Eos tamen praecipue fugite, qui, barbariei forensi tamquam glebae addicti, Pragmaticorum nomine gloriantur: qui nimirum *adeo sibi placent miseri, et blandiuntur* (progreditur idem Faber), *ut quasi nihil Scientia conferat ad praxim, illam omnino negligant, hanc unam sectentur. Quae res mirum est quantas in Tribunalibus lites, ac potius tragoedias excitarit: quemadmodum enim theoria sine praxi aut nullius, aut perexigui certe usus est, ita nihil reipublicae perniciosius, quam si per eos, qui jura et res forenses tractant, praxis a theoria sejungatur.* Existimavit enim id quod res est acutissimi ingenii vir. Quid namque illa Jurisprudentia periculosius, quae juris ratione et auctoritate neglecta, in sola praxi et usu forensi conquiescit? Cognitio legum, et naturae, et intellectus ordine usum et adplicationem praecedere debet: qui vero leges ipsas, qui earum principia, rationes, nexumque ignorat, quo pacto poterit legem facto adplicare, et rectam de illius usu sententiam dicere? Neque decisionum, rei judicatae, et forensis usus vobis unquam auctoritas imponat: non enim exemplis, sed legibus judicandum; neque in posterum obtinere debet id, quod fuit per errorem primum in foro receptum. Nudum ministerium, non arbitrium legum penes Magistratum est. Ita vero in effectu foret, si non quid leges praecipiant, velint, jubeant; sed id potius, quod in foro demum obtinuit, et Pragmaticis placuit, inspiceremus. Exanimem itaque hanc

Digitized by Google

hanc jurisprudentiam adque exsanguem totis viribus oppugnate, Auditores: bellum eidem perpetuo indicite, praxim cum legum scientia semper conjungite, forenses usus, quorum nulla, vel non idonea ratio reddi potest, contemnite, et de eis demum nunquam nisi ex ipsis legum penetralibus judicate.

Leges nostras, proh dolor! nemo ad hanc usque diem pro dignitate tractavit; eae vero tanta sapientia conditae sunt, ut digna haberi debeant, quibus ediscendis, et clariore in luce collocandis seriam omnes et adsiduam operam demus. Dolendum itaque maxime nobis est, nec jam diutius ferendum, quod Patriam Jurisprudentiam non nisi squalidis Rabularum manibus contrectatam videamus. Et quantum, Deus immortalis! hi homines semper illoti, semper intonsi, venustissimam ejus faciem deformarunt! Quam impie ac sacrilege sanctissima jura adtrectarunt! Vestrum igitur ingenium et industriam acuite, Adolescentes humanissimi; Patriae Jurisprudentiae campus est amplissimus, et, mihi credite, amoenissimus est: in ejus itaque studium, in quo nunc estis, serio incumbite. Jam satis Canonici et Romani Juris, cui toto fere Academiae quinquennio operam dedistis: nunc vero] cogitationes vestras et vigilias ad Patrias Leges convertite, atque hic pulcherrimus laborum vestrorum finis est: in Lusitaniae enim solo vivitis, non in Romuli aliqua republica. Romanorum jus, fateor, praeclara multa] continet; sed quamplurimos etiam naevos habet, quos inter alios unus Christianus Thomasius demonstravit: id vero, quamvis omnibus numeris absolutissimum foret, inutile prorsus nostra in Civitate

esset, neque in Academia locum haberet, nisi ex eo multa Leges nostrae desumerent, et egregie non nunquam ad earumdem interpretationem faceret. Neque porro illius nostra hac aetate tanta auctoritas est, ut studium domestici Juris conculcare possit: et haec hodie una omnium sapientum vox est. Illud jam dudum apud Germanos, Gallos, ceterosque nostrae Europae populos Conringius, Beyerus, Joannes Fridericus Polac, Hoffmannus, et non nulli alii sapientissimi viri excitarunt. Si quid igitur apud vos, Auditores honoratissimi, Patriae et gloriae amor, si quid propriae commoditatis rationes, et si quid denique gravissimorum hominum exempla valent, mecum omnes contendite, ut Leges, quibus vivimus, ab iniquissimorum possessorum manibus vindicemus. Ego vobiscum idem iter teram, Auditores, et quantum mihi ingenii, quantum facultatis deerit, tantum studio et continua lectione compensabo.

Nullis ergo laboribus, nullis vigiliis et molestiis parcam: et hoc tantum promitto, ut vobis pro mea virili parte opitulari studeam. Earum primus fructus, immaturus licet, libellus iste est, quem in vestrum omnium gratiam ordinavi. Is vero exhibet Historiam Juris Civilis Lusitani per temporum seriem ad nostram usque aetatem deductam, a qua scilicet Juris Patrii, quemadmodum reliquarum disciplinarum, studium inchoandum est.

Juris Civilis Romani Historiam quicumque e priscis antiquitatis ruderibus eruere curarunt, uno omnium ore eorum incuriam adcusant, qui bellicis tantum rebus describendis intenti, Civilium Legum notitiam, ipsarum ortum et pro-

Digitized by Google

greſsum vix leviter adtigerunt. Si haec de Romanis, populorum ferme omnium cultissimis, quid nos de Scriptoribus nostris dicemus? Ii omnium maxime incuriosi esse videntur, et Reipublicae nostrae statum, nostrarum Legum origines, et politicam vivendi rationem vix, ac ne vix quidem, aut nimium obscure commonstrarunt. Enim vero *Monarchiae Lusitaniae* Auctores, praecipue Britus, et uterque Brandanus, quibus ego in primis usus sum, egregia multa et praeclara, eaque non vulgaria continent, et multarum legum notitiam produnt: sed naturam et indolem summi Imperii, regiminis formam, judiciorum ordinem, Juris Romani in Lusitania introductionem, cetera, vel omnino non tangunt, vel satis jejune ac exiliter, quasi scilicet aliud agentes, declarant. Nostrorum vero Regum vitas et Chronica qui scripserunt, minutissimis rebus quibusdam, bellicis praesertim, describendis occupati, quae majoris momenti sunt, et ad publicum, privatumve Civitatis statum spectant, praetermittunt. Diversas autem Juris nostri mutationes, diversas aetates, diversos Legum codices, eorum variationes, supremae Majestatis Jurium tot subsequutas postea gravissimas infractiones, totque inflicta vulnera, quis unquam, quaeso, nostrorum hominum exposuit? Quis eorum genuinas causas aperuit, et veras unquam rationes monstravit? Equidem Scriptores nostri, fateor, inter dicendum non nulla comminiscuntur, et facta quaedam commemorant, quae, si paulo adtentius meditentur, oculatissimum quemque quasi in viam reducere poterant: sed quam pauca haec sunt! et quam saepius nubem pro Junone ponunt! Tanta nimirum, pro saeculi genio, superstitione capti erant, et in tanta universalis Pu-



Digitized by Google

blici juris ignoratione vivebant, ut eorum etiam, quae ipsi videbant, quaeque referebant, causas et rationes ignorarent.

Haec cum ita sint, nemo est, qui non intelligat, quot, quantosque labores ac difficultates superare debeat, qui ad Historiam Lusitani Juris scribendam animum adpulerit. Non loquor de Phoenicum, Carthaginiensium, et aliorum in universam Hispaniam adventu antiquissimis temporibus: quis enim in tanta rerum obscuritate, et densissimis tenebris, quibus omnia obruta erant ac sepulta, non offendet, et quidquam pro certo audebit adfirmare? Meras nugas, et fabulas Auctores nostri una cum Hispanis veluti ex compacto tradiderunt: ab iis ego, quantum potui, abstinui, et partim conjecturis ex Imperiorum, Rerumpublicarum, et primaevo hominum statu et conditione deductis, partim gravissimorum Scriptorum, praesertim Graecorum et Romanorum, testimonio et auctoritate ductus, quid in hac tam recondita antiquitate de veterum Lusitanorum statu, moribus et legibus verosimilius esse videbatur, meo more indicavi. Non minus obscura sunt posteriora Romanorum tempora: quidquid tamen hac in re sive verum, sive probabile saltim venditari potest, id nos ex generali Provinciarum Imperii jure, et ex ipsis potissimum Romanis Scriptoribus decerpsimus. Sub Gothorum dominatione nullum illustrius praeclaro illorum legum Codice monumentum invenire quisquam poterit. Qui eisdem successere, Legionis Reges, eosdem fere mores, leges et instituta servarunt: atque haec nostri, et Hispaniensis antiqui Juris fata fuerunt, quae nullatenus praetermittenda putavi. Neque nostrum laborem improbetis, Auditores, pro-

Digitized by Google

pterea quod emortuas jam diu leges ab inferis veluti revocare videamur: eae namque sub Lusitani quoque Juris nomine veniunt, et egregie non nunquam ad ejusdem interpretationem faciunt; nec poterant ideo in illius Historia omitti.

Lusitania vero nostra a reliqua Hispania tandem aliquando segregata diverso ab ea jure uti coepit. Nos illud per diversas etiam aetates distinximus. Sub Henrico Comite, et venerabili Rege Alphonso Henrico: ab Alphonso ad Joannem I.: a Joanne I. ad Emmanuelem Regem invictissimum: et ab Emmanuele ad Philipporum, Castellae Regum, dominationem. His in Lusitania imperantibus, miserum Patriae Jurisprudentiae statum demonstravimus: et tandem, melioribus temporibus exortis, vidimus, quo jure Lusitania sub Joanne IV. demum liberata ad nostram usque aetatem usa fuerit, et quo denique sub Josepho I., felicis recordationis Principe, et Maria I., Regina Fidelissima, ac Domina nostra longe Clementissima, utatur. Diversa autem temporis, quod percurrimus, periodo, publicas nos et generales leges, itemque privatas, censuales, seu *forales*, Legem Status fundamentalem, judiciorum ordinem, et simplicem litium dirimendarum rationem tradidimus; Romani quoque, Canonicive Juris introductionem et usum, Academiarum institutionem, celebriora Regni Comitia, diversos Juris nostri Codices, eorum auctores, virtutes, et vitia, supremam nostrorum Regum in legibus ferendis potestatem; *Concordatas*, ut adpellant, Ecclesiasticorum praecipuas factiones, quae eisdem causam dederunt, et id genus alia multa indicavimus. Horum autem plura, cum non commode in textum referri possent, Notis exscripsimus, quae

propterea plus justo longiores evaserunt. Paulo tamen instructior libellus noster prodiret, si, quod in votis erat, per tempus liceret publica Regni scrinia, et insigniorum Monasteriorum tabularia adire. Interim vero, quamdiu meliora non adparent, nostro hoc labore fruimini, Auditores; et operi novo, imperfecto, repentino, paucos videlicet intra menses confecto, veniam date.

Eidem, veluti adpendicem quamdam, subjungere placuit Jureconsultorum Lusitanorum catalogum: et haec nimirum una res est, quae multum ad Juris Patrii intelligentiam facit, et ejusdem Historiae adcessio quaedam, et non minima certe pars est. Habetis hic praecipuos tantum, non omnes, Theoricos Practicosque, Academiae Conimbricensis utriusque Juris Antecessores egregios, et eos demum, qui ad Regias Ordinationes secundum librorum et titulorum seriem scripserunt. De singulorum in Patriam, et Romanam Jurisprudentiam meritis, sed modeste et verecunde, disputavi: quod quamvis periculosum fore praescirem; tamen malui non bene apud non nullos audire, et quorumdam fortasse hominum malevolentiam incurrere, quam in re adeo gravi officio meo deesse videri. Omnium ego virtutes omnes propalam feci, vitia autem forsitan multa dissimulavi, et illorum denique hodiernum usum in nova Jurisprudentiae facie, quantum instituti mei ratio exigebat, demonstravi.

Ad calcem tandem subjunxi singulare caput de recta Lusitani Juris interpretandi ratione, novum etiam opus, quod ante me meditatus fuit nemo. Juris Patrii Hermeneutica et communibus interpretationis regulis, et specialibus non

Digitized by Google

nullis, quas indicavimus, constat: utrasque autem forenses homines ignorant. Et quid mirum? cum Pragmatici Scriptores nihil minus, quam eximiam hanc artem intelligant, quae nequaquam potest a boni interpretis officio separari. Nam ubique Jus Patrium cum Romano confundunt, et ex hoc illud semper, sed perperam interpretantur. Juris Civilis antiqui regulas, quae speciales suas rationes habent, generaliter adcipiunt, et conjecturis inanissimis plerumque ducuntur, quas non ex hermeneuticae probabilitatis regulis, sed ex vulgarium Doctorum praejudiciis et auctoritate derivant, queis insuperabile robur adcessisse putant, si eas aliquando in judicio confirmatas viderint. Quid enim magis in foro frequentius, quam doctrina de favorabilibus ampliandis, odiosis, privilegiis, et iis generaliter omnibus, quae a Juris Communis ratione recedunt, restringendis? Haec nimirum omnia in causa sunt, ut forensis Jurisprudentia meris arbitriis constare, et adeo incerta esse videatur, ut nihil ultra. Ego vero, hac quoque in parte Juri nostro ut consulerem, de speciali illius Hermeneutica pauca quaedam disserui; qua quidem in re si minus operae pretium fecisse videar, id, quaeso, rei difficultati, et virium mearum imbecillitati potius, quam desidiae negligentiaeque meae tribuatis. Neque enim aliud quidquam, nisi Patriae Jurisprudentiae amor, de vobis bene merendi studium, et operis ac muneris mei susceptae rationes, me primum hac de re ad scribendum impulerunt. Valete.

Digitized by Google

# INDEX

## ET SERIES CAPITUM.

CAPUT I. DE JURE LUSITANO ANTE ROMANORUM IN HISPANIAM ADVENTUM . . . . . . pag. 1
CAPUT II. DE JURE LUSITANO SUB ROMANIS . . 12
CAPUT III. DE JURE LUSITANO SUB GOTHORUM REGIBUS . . . . . . . . . . . . 21
CAPUT IV. DE JURE LUSITANO SUB LEGIONIS REGIBUS, ET ARABUM DOMINATIONE. . . . . . 30
CAPUT V. DE JURE LUSITANO SUB HENRICO COMITE, ET VENERABILI ALPHONSO, PORTUGALLIAE REGE . . . . . . . . . . . . . . . . . 34
CAPUT VI. DE JURE LUSITANO AB ALPHONSO AD JOANNEM I. . . . . . . . . . . . . . . 42
CAPUT VII. DE JURE LUSITANO AB JOANNE I. AD EMMANUELEM REGEM INVICTISSIMUM . . . . 72
CAPUT VIII. DE JURE LUSITANO AB EMMANUELE AD PHILIPPORUM DOMINATIONEM. . . . . . 83
CAPUT IX. DE JURE LUSITANO SUB PHILIPPORUM DOMINATIONE. . . . . . . . . . . . . 96
CAPUT X. DE JURE LUSITANO AB JOANNE IV. AD NOSTRA TEMPORA . . . . . . . . . . . . . 104
CAPUT XI. DE JURE LUSITANO SUB JOSEPHO I., ET MARIA I. REGINA FIDELISSIMA . . . . . . 111
CAPUT XII. DE JURECONSULTIS LUSITANIS . . . 121
CAPUT XIII. DE RECTA LUSITANI JURIS INTERPRETANDI RATIONE . . . . . . . . . . . . 137

TABULA Titulorum concordantium Codicis Philippini, Emmanuelini, et Alphonsini. . . . . 157

Resposta de Paschoal José de Mello contra a Censura do Compendio *Historia Juris Civilis Lusitani*, feita por Antonio Pereira de Figueiredo. 181

Digitized by Google

# HISTORIAE
# JURIS CIVILIS LUSITANI
## LIBER SINGULARIS.

## CAPUT I.

*DE JURE LUSITANO ANTE ROMANORUM IN HISPANIAM ADVENTUM.*

### *Quid Historia Juris Civilis Lusitani.*

§. 1. Historia Juris Civilis Lusitani, prout ipsum vocabulum sonat, est Historia ejus juris, quo Lusitani utuntur: quod, cum non semper unum, et ubique fuerit, sed multiplex, et saepius pro tot diversis temporum rationibus variaverit, diversas illius aetates distinguamus oportet. Itaque ab eo jure, quod Romanorum in Hispaniam adventum praecessit, initium faciemus.

Non loquar hic de Patrii Juris publice tradendi utilitate; eam nimirum jam dudum Heumannus, Senckenbergius, Marbachius, Beyerus, et alii eximii Jureconsulti adeo aperte demonstrarunt, ut causa haec merito perorata jam esse videatur. Et quis contra ea ire poterit, cum sciat Galliam sub Ludovico XIV. anno 1679., et nostram Lusitaniam sub Josepho I. Rege Fidelissimo Juri Patrio quam honorificum in Academia locum tandem aliquando dedisse? Illud tantum contendo, quod Juris Patrii studium vel an-



Digitized by Google

tecedere, vel comitari saltim debeat illius Historia specialis; ab ea namque in omni disciplina arteque tradenda, si operae pretium facere velimus, erunt semper auspicia incipienda. Morhof. *Polyhist.* tom. 1. lib. 1. cap. 2. §. 9. et seq., Nicol. Hieronym. Gundling. Praef. *de utilit. ac necessit. Hist. Literar.* Omitto reliquas scientias, et ipsam quoque Ecclesiasticam et Civilem Jurisprudentiam; nemo enim ignorat quanto ei lucis ac splendoris ex utriusque historia a renatis literis adcesserit; et, ut solum de Jure Patrio loquar, quis dubitat, quod Gallorum, Germanorum, et aliarum gentium Juris peritissimi homines, Argou, Conring., Heinecc., Franck, Cramer, Hofmann., illius tractationi praemiserint, vel adjunxerint ejusdem juris *Historiam*, *Origines*, *Antiquitates*, *Principia*, *Fontes*; et quod praeterea de genuina ejus discendi atque tradendi ratione satis multa, eaque egregia disputarint? Illorum igitur exemplo, et in primis muneris atque officii mei ratione commotus, Lusitani Juris Historiam prius enucleandam suscepi, non quod tanto oneri ferendo me parem esse putem, sed quod existimem facilius me ita posse ad nobilissimam hanc spartam ornandam aliorum industriam excitare.

## *Lusitaniae, et Portugalliae nominis derivatio.*

§. II. Ut autem hinc potissimum ordiamur, totus ille terrae tractus quam celeberrimus, et regio haec nostra, quam habitamus, sub Lusitaniae, aut Lysitaniae primum, dein sub Portugalliae nomine venire coepit. Quis autem Lusitaniae nomen primus dederit, nec constat, nec multum refert: Portucalis tamen, vel, si blandius loqui malumus, Portugalliae, a *Portu* et *Cale*, oppido ad Durii ostium antiquissimo, dictum esse, nostrorum hominum constans opinio est.

Lusitaniae, vel Lysitaniae nomen passim offendes non modo apud Scriptores Latinos, Livium, Florum, Plinium, ceteros, apud Paulum Jurecconsultum l. 8. *de censib.*; verum etiam apud Graecos non nullos, Dionem, Strabonem, Ptolemaeum, Athenaeum. Illius nomen a Luso, et Lysa, Liberi patris comitibus, derivat Plinius lib. 3. cap. 1.:

Digitized by Google

sed fabulam haec magis, quam veritatem sapiunt, quae referre initio operis mali omnis esset. Portugalliae vero nomen hac tempestate certe inauditum erat. Conjicere autem licet vel ex sola hujus vocis ratione receptum illud multo quidem postea fuisse, vigente jam barbarie, in ultimis silicet Romanorum temporibus, aut primis Gothorum. De illius derivatione varii varia comminiscuntur. Alii a portu quodam Galliae dictum putant, alii a Portugatele, Graecorum Rege, et alii denique a Grajum (hodie *Gaia*) portu, quem Graeci, Diomedis comites, confecto Trojano bello, aedificarant. Sed hi homines suaviter ridendi sunt. Longe probabilius quod ita se res haberet. Oppidum, *Cale* dictum, erat ad Durii ostium, qui locus hodie dicitur *Gaia*, cujus mentio fit in *Itinerario* Antonini Pii Imperatoris (si forte illius est). Hoc vero cum in monte situm esset, nec commodum piscatoribus usum praeberet, ab eisdem majoris commoditatis ergo in ripa fluminis adversa exstrui coepit, et vocatum est *Calis Portus*, vel uno nomine *Portucale*, quod, principio quidem ignobile, paulatim multitudine et frequentia habitatorum in civitatis tandem dignitatem devenit. Ad solam hanc urbem Portucalis nomen initio spectabat; diffusum deinde in totam Provinciam Interamnensem; postea ad reliquas civitates ultra Durium, Conimbricam, Lamecum, Visaeum, et denique ad universum Regnum translatum est. Atque ita ferme Resendius in *Epist. ad Bartholomaeum Kabedium*, et *de Antiquitat. Lusit.* lib. 1., Jacobus Menoetius Vasconcellus in ejusdem *scholiis*, Oduardus Galvanus *Chronic. Alph. I.*, Britus *Monarch. Lusit.* lib. 6. cap. 14., Anton. Carvallius Costa *Chorograph*, tom. 1. Introduct., Georg. Cardoso *Agiolog. Lusit.* tom. 1. §. 5., Oduardus Nonius Leo *Censur. 1. in Josephi Teixeirae libellum de Regum Portugalliae origine*, Hieron. Osor. *de Reb. Emman.* lib. 1., Argotius *Antiquit. Bracar.* lib. 2. cap. 9.

## *Qui olim populi, et termini Lusitaniae.*

§. III. Lusitaniam diversi olim habitarunt populi, veluti Turdetani, Turduli, Celtici, Vectones, seu Vettones, Barbarii, etc., qui inter se diversam quandam Rempublicam constituebant; nec illius iidem termini atque hodie Portugalliae. Quia tamen a generalibus totius Lusitaniae mo-

Digitized by Google

ribus (ut ut suos usus peculiares haberent) et legibus participabant, nos hic eos omnes promiscue Lusitanos adpellabimus, et sub praeclaro hoc nomine illorum leges ac mores explicabimus.

Antiquos Lusitaniae nostrae terminos, et diversos olim illius incolas recensent Ptolemaeus lib. 2. cap. 5., Plinius lib. 3. cap. 1., et lib. 4. cap. 35., Strabo lib. 3., Pomponius Mela *de Sit. Orb.* cap. 6., Resendius noster *de Antiquitat. Lusit.* lib. 1., Damianus Goesius, Eques Lusitanus, et Ludovicus Nonius, uterque *Hispania* sua, cap. 29. et 30., Britus *Geograph. Antiq. Lusit.* cap. 1., Anton. Vasconcellus *Descript. Regn. Portugall.*

## *Primi Lusitaniae incolae.*

§. IV. De nostrorum hominum origine, de primis Lusitaniae incolis ac Regibus, de illorumve serie ac successione non multum solliciti erimus; scimus enim quantum hac in parte gens nostra una cum reliquis totius orbis nationibus vetustatis amore insanierit (*a*). Illud tamen dubitari non potest, Phoenices, Aepyptios, Carthaginienses, et populos fortasse alios universae Hispaniae, divitiarum fama invitatos, ad Lusitaniae demum nostrae oram adpulisse (*b*).

(*a*) Vulgaris et communis error fuit non Lusitanorum modo, sed omnium fere gentium, ut suorum origines ab ultima semper antiquitate repeterent, a quo nec ipsi Athenienses atque Lacedaemonii, sapientissimum genus hominum, immunes fuerunt, quippe qui se filios solis, terrae, et Αὐτόχθονας per summam adrogantiam nominabant, quasi ex ipsa, quam habitabant, terra, veluti arbores, prodiissent, Pausan. lib. 3. cap. 1., Menander Rhetor apud *Rethor. Graec. veter.* edit. Ald. 1508. pag. 604., Ovid. *Fast.* lib. 2. vers. 290., Cicer. *Orat. pro Luc. Flac.* cap. 26., Isocrat. in *Panegyr.* pag. 65. Lusitani, tametsi vero non omnes, et Hispani adeo prae reliquis hac in re insanire videntur, ut suae gentis, Reipublicae, et Regum suorum genealogiam, lineas ac successionem ab Adamo

Digitized by Google

ad nostra usque tempora contexere fanatici homines non erubescant. Apud Andream Schottum tom. 1. *Hispan Illustr.* pag. 1182. exstat Regum Hispaniae Catalogus, cujus vel sola inscriptio summam dementiam atque superstitionem prodit; ita enim se habet: *Genealogia, sive linea successionis Regum Hispaniae ab Adamo usque ad Diluvium, et deinceps per temporum seriem ad nostram usque aetatem deducta:* quo loco non solum Reges Hispanici, quotquot ab initio mundi fuerunt, enumerantur; sed anni, quos vixerunt, graphice referuntur. Joannes Vasaeus *Chron. Hisp.* apud eumdem tom. 1. pag. 594. ante diluviana tempora adtingere ausus non fuit: semper tamen in tabula veluti exhibet omnium Hispaniae Regum a Tubale usque ad Carthaginienses nomina, seriem, et imperii annos. Cordatiores, et qui magis serio rem agere videntur, ordinem succedendi et regnandi negligunt: in eo tamen omnes consentiunt, Tubalem primum in Hispania regnasse et post eum mentionem faciunt Iberi, Tagi, Herculis, Geryonis, Brigi, Caci, et aliorum, quorum nomina, portenta, et res gestas, si quae profecto unquam fuerunt, vide, sis, apud Luc. Marin. *de Rebus Hisp.* lib. 6., Rodericum Archiepiscopum Toletanum capp. 3. 4. 5. 6., Rodericum Sancium, Episcopum Palentinum, *Hist. Hisp.* cap. 7., Joann. Marianam lib. 1. capp. 1. 7. 8. 9. 10. 11., Anton. Sous. Maced. *Flor. Hisp.* cap. 5. Excell. 1., Brit. *Monarch. Lus.* lib. 1. a cap. 3., Emman. Far. Sous. *Europ. Portug.* p. 1. capp. 2. 3. 4. 5. 6. et seq., ut alios minorum gentium Scriptores omittam.

(*b*) Phoenicum natio, terra marique potentissima, et jam tempore Salomonis celeberrima, Hispanis imperare coepit ab anno mundi 3200, ad 3300, si fides adhibenda est Joanni Dominico Musantio *Tab.* 7. *Chronol. V. aetat.* At in re ita vetusta, et tenebris maxime involuta nihil certo definiri potest. De Aegyptiorum et Graecorum in Lusitania imperio non liquet; de adventu tamen liquet. Pro certo autem adfirmare eosdem apud nos diu fixas posuisse sedes, et quamplurimas, certasque civitates in Lusitania, Baetica, et Tarraconia exstruxisse, intemperans mentiendi libido videtur. Ad Carthaginienses vero quod adtinet, qui scilicet tantum terrestribus maritimisque opibus pollebant, ut insolenti Romae terrarum imperium disputare auderent, quod Lusitaniam jam sub initio secundi belli Punici ab anno mundi 3700 ad 3800 sub sua ditione ac potestate habuissent, tam certum est, quam quod certissimum, Liv. lib. 1., et passim. Vid. Joann. Mariann.

Digitized by Google

*de Reb. Hisp.* lib. 1. capp. 15. 18. 19. seq. Resend. *de Antiquit. Lusit.* lib. 3., Dam. Goes. in *Descript. urb. Olisipon.*

*Coloniae Orientis fuerunt.*

§. V. Illud quoque certum, vel saltim probabile multum est, primos Lusitaniae incolas Orientis Colonias fuisse, quae ex Asia (si ab ea forte, et non ex Africa: sed illud verosimilius videtur) in Lusitaniam, Hispaniam, et reliquam Europam adpulerunt. Has vero, initio certe non omnino rudes atque incultas, orientalem politiam, quam secum portarunt, cito brevique amisisse credimus.

Circa Imperiorum origines, et antiqui orbis colonos atque habitatores plus lucis nobis adferre potest unus Moyses, quam omnes totius antiquitatis Scriptores. Ipse vero non obscure tradit cap. 10. *Genes.* v. 30., et cap. 11. v. 2., Orientem, cum prius ab hominibus habitari coepisset, Colonias in Occidentem, ut eum quoque inhabitarent, misisse. Jam vero Orientales hi homines in Lusitaniam, et reliquas Europae regiones proficiscentes Orientalem politiam ac humanitatem cito amiserunt. Cum enim pluribus instrumentis ac subsidiis destituerentur, quibus in vita civili utimur, nec facile (quae est hominum natura) mutuas sibi suppetias darent, discordia, invidia, dominandi libido, quae statim, et in dies magis inter eos gliscebant, eosdem ad necessariam separationem coëgerunt: qua posita, quam brevi in crassam rerum omnium ignorantiam prolaberentur, omnes intelligunt. Vid. Aug. Calmet *Dissertation sur l'excellence de l'Histoire des Hébreux; Histoir. Génér. des Voyag.* tom. 11. pag. 206. et 207.

*Barbari initio Lusitanorum mores.*

§. VI. Ea autem amissa, si de primorum parentum, et Lusitanorum moribus in tam recondita antiquitate quaeramus, non possumus non confiteri, eos magis ferarum, quam hominum esse (*a*). Paulo meliores esse coeperunt, post-

Digitized by Google

quam nostri homines in societatem coiverunt, et unius sese submiserunt potestati (*b*). Haec vero societas initio imperfecta admodum erat, et tota fere moribus, legibusque non nullis, sed paucis constabat (*c*).

(*a*) Qui mores ab hominibus incultis atque barbaris sperari possunt, aput quos praeter naturalem nulla lex est, et nullus superior, qui eos possit in officio continere? Graeci, a quibus omnis elegantia, cultusque manavit, ingenue fatentur, quod nulla apud eos initio societas erat; quod primi eorum parentes in antris habitabant; quod nudi omnino, vel animalium pellibus vestiti in medium prodibant; quod ignis usum, et hominum alimenta nesciebant; quod fructus, quos ipsa natura sponte sua fert, et carnes sanguine ac cruore madentes, quinimo et suorum infirmissimos, cum se occasio offerebat, vescebantur; et quod denique vitam piscium vivebant, ubi major devorat minorem. Thucyd. lib. 1. p. 2. et 3., Strab. lib. 3. pag. 238., Pausan. lib. 8. cap. 1. pag. 599., Ovid. *Metamorph*. lib. 1. v. 121. Similia de populis silvestribus referuntur. Vid. *Mœurs des Sauvages* tom. 1., *l'Origine des Loix chez les anciens peuples* lib. 1. itemque *les Mémoires de l'Academie des Inscriptions* tom. 5. pag. 118., et tom. 9. pag. 203. Horum itaque similes, nec profecto multo meliores, initio esse poterant nostrorum hominum mores. Quis enim dubitare poterit hominum multitudinem in terra nova, inculta ac paene deserta, sine lege et capite errantem, totius vitae civilis cultum statim exuere, generales ipsas notiones perdere, et omnem prorsus humanitatem sensim ac pedetentim abjicere?

(*b*) Lusitanorum tamen mores minus barbari esse coeperunt, statim atque ipsi in societatem quandam, ut ut imperfectam et inaequalem, coiverunt: neque enim aliter feroces populorum mores expurgantur. Iis vero in qualemcumque regiminis formam coëuntibus (qua de causa hic non quaerimus), quod primum unius Principatus, seu Monarchia occurreret, verosimillimum est, idque antiquissimarum gentium exempla demonstrant, quae satis abunde suppeditat utraque historia, tum sacra, tum profana. *Genes*. cap. 10. v. 10. I. *Reg*. cap. 8. v. 20., Homer. *Iliad*. lib. 2. v. 204. cum seq., Aristot. *de Rep*. lib. 1. cap. 2., lib. 3. cap. 15., Cic. *de Leg*. lib. 3 cap. 2., *de Offic*. lib. 2. cap. 12.

Digitized by Google

(*c*) Populus barbarus paucis indiget legibus; aliquas tamen esse oportet sive scriptas, sive non scriptas. Scriptura tamen veteres fere omnino carebant. Tac. *Ann.* lib. 3. cap. 26., Justin. *Histor.* lib. 1. cap. 1., et lib. 2. cap. 7., Plat. *de Leg.* lib. 3. pag. 806. Quales autem primordiales hae et rubiginosae nostrorum hominum leges essent, et quomodo sancitae, hodie scimus juxta cum ignarissimis. Conjicere vero licet, eas praeter criminum gravissimorum poenas, eorum praesertim, quae publicam turbant tranquillitatem, veluti furtum, rapina, homicidium, vis, adulterium et similia, praeter quamdam societatis Constitutionem, seu Legem Status, et qualemcumque Dei cultum, nihil fere quidquam aliud praescripsisse. Ita nimirum hujusmodi leges simplicissimae sunt, ut in omni et quacumque societate et populo, agresti licet et inculto, debeant obtinere. Vid. *l'Origine des Loix chez les anciens peuples* lib. 1. art. 1., et *Mœurs des Sauvages* tom. 1.

### *Sensim tamen meliores.*

§. VII. Successu vero temporis, cum agros colere, et fixas habere sedes, artesque non nullas, eas praesertim, quae ad agrorum culturam spectant, Lusitani homines exercere coeperunt, majore jam eis legum numero opus erat, quae *meum* et *tuum* definirent, quae possessionum limites praescriberent, quae matrimonia certis ritibus et caerimoniis circumvallarent, quae sanguinis et conventionum jura explicarent, et quae denique naturalem succedendi ordinem inter consanguineos stabilirent. Speciales autem has leges Lusitani e peregrinis populis, quorum sub potestate erant, vel consuetudine fruebantur, in primis adceperunt.

Quo magis populus cultus et civilis est, eo majore legum numero indiget; nam quamdiu in silvis errat, fere exlex vivit. Debent igitur, ut alia multa, ita etiam leges originem suam agriculturae. Huic itaque arti omnium praestantissimae, et populis in primis cultioribus, qui ad nos vel commerciorum causa, vel dominandi libidine adventarunt, adceptum referre debent Lusitani, quod illo-

Digitized by Google

rum mores in dies humaniores fuerint, et quod in tantam rei militaris gloriam paulatim devenerint, ut Romanos ipsos, jam reliqui orbis dominos, innumeris proeliis postea fatigarint, ac non semel vicerint. Et quis vero dubitat, cum Phoenices primum, postea Carthaginienses, et alii deinceps, singuli centum annis et ultra, Lusitanis imperassent, quod hi ex eorum praescripto viverent, et ad illorum mores ac leges sese adcommodarent? Eos autem, easve referre, neque multum facile, cum nullos Phoenices, aut Carthaginienses Scriptores habeamus, neque multum nostra interesse arbitror. Videsis tamen Calmet *Dissertation sur l'excellence de l'Historie des Hébreux, l'Origine des Loix chez les anciens peuples* lib. 4. cap. 2. tom. 5., Rollin *Histoire Ancienne* tom. 1.

## *Quae olim regiminis forma, et de Jure Publico.*

§. VIII. Societatis totius regimen ex Monarchico et Aristrocratico participabat. Tempore belli Ducem, virum ingenio et virtute praestantem, eligebant, qui Regiam Majestatem prae se ferens omnia poterat susque deque moderari. Is vero, finito bello, merus deveniebat civis, et in Reipublicae potestatem, quasi postliminii jure, revertebatur. Pacis temporibus Majestas penes populum erat, qui statis definitisque diebus conveniebat de Reipublicae bono deliberaturus. Cives, qui plus auctoritate et eloquentia valebant, rem, tamquam e suggestu et pro rostris, proponebant: reliqui, qui aderant, in suffragia mittebantur. Ii autem si ensem sub clypeo reclinabant, adprobare; eum vero si murmure quodam ad pedes projiciebant, antiquare legem videbantur. Cura armorum, gregis et armentorum, ad masculos; rei domesticae et commerciorum, ad feminas; agrorum denique, ad servos praecipue adtinebat. Haec de Jure Publico, et primaevo nostrorum hominum statu dicta sufficiant.

Digitized by Google

## *Quales illorum mores, et de Jure Privato.*

§. IX. Si vero de Jure Privato, moribusve eorum loquamur, non dubitamus adserere cum Resendio nostro eos neque tunc quidem temporis malos, neque modo nobis erubescendos. Pro diis (ut ab eorum religione ordiamur) Martem, Minervam, Venerem, et Herculem Libycum adorabant: auguriis et superstitionibus, qui tunc vulgaris error erat, adeo oblectabantur, ut in praelium ituri hominem occiderent, cujus ex visceribus belli successum conjicere posse serio sibi persuadebant. Hecatombas, solemnissimum illud Romanorum Graecorumque sacrificium, faciebant. Ludos publicos in eorum laudem, qui vel in acie occubuissent, vel insignia spectate virtutis specimina dedissent, indicebant: pugionibus, jaculis, hastis, aliisque levibus armaturis mira arte ac dexteritate utebantur; fortitudine vero, magnitudine, ac nobilitate animi adeo excellebant, ut Latini Scriptores, qui semper barbarorum, sicuti vocant, res gestas extenuant, suas augent immodice, hanc tam eximiam atque praeclaram gentis nostrae laudem quamvis detererent saepius et obscurarent, negare tamen aperte nunquam sint ausi. Aegrotos vetusto Aegyptiorum ritu in plateis deponebant, ut, qui eo morbi genere tentati fuerant, commonefacere eos valerent. Capillos vel nunquam, vel raro tondebant: commercia sola permutatione exercebant: promissa, fidem, jusjurandum sancte religioseque servabant: egregii erant aquae potores, et vini abstemii: in delinquentes severius, quam par erat, animadvertebant, quos vel de levioribus criminibus consueverant capite obtruncare, vel lapidibus obruere: feminae sua tantum voluntate, non parentum, nubebant, queis viginti supra quatuor agnorum, caprarum-

Digitized by Google

ve capita dos ordinaria erat: castitatem vero adeo colebant, ut in tam densissimis ignorantiae tenebris adulterium (quod mireris) ne de nomine quidem nosceretur.

Qui Lusitanorum mores per haec tempora (Romanis scilicet proximiora) fuerint, non aliunde, quam ex Graecis, Latinisve Scriptoribus intelligere possumus, cum nulli alii superstites sint: eos itaque recenset Plinius, Livius, Florus, Diodorus Siculus, Justinus, Polybius, Paterculus, cet.: sed omnium industriam superavit Strabo, qui, quales suo tempore adceperat, diligenter adnotavit lib. 3. *Rer. Geograph.* Illos tamen cum legeris, velim animadvertas, solemne iis esse suorum res gestas mirifice exaggerare, exterorum, omni quo possunt modo, deprimere, et illorum leges ac consuetudines tamquam barbaras, feroces et belluinas non alia de causa traducere, quam quia Romanis adversantur, ut prae aliis noster jam observavit Resendius *de Antiquit. Lusit.* lib. 1. Ex eodem Strabone lib. 3. constat Turdetanos, Hispanorum sapientissimos, antiquitatum suarum libros scriptos habere, et leges versibus inclusas, hoc est, cadentibus vocibus, et ad Poëtices modulum compositas, ut facilius memoriae mandari et retineri potuissent, qui Aegyptiorum quoque, Graecorum et Romanorum mos erat. Plat. in *Minerv.* pag. 567., Aristot, *Problem.* Sect. 19. Probl. 28., Suid. voce Νόμοι κιθαρῳδικοι, Aelian. *Var. Histor.* lib. 2. cap. 39. Vid. Fourmont *Réflexions critiques sur les Histoires des anciens Peuples* lib. 2. cap. 7. Verum haec et alia vetustatis monumenta injuria temporum perierunt: interim tamen hanc in rem de moribus et ritibus Lusitanorum multa invenire licet apud Britum (qui in *Monarchia Lusitana*, praecipue in Praefatione, multa refert tum ex aliis, tum maxime ex quibusdam MSCtis, quae sub nomine nescio cujus Laimundi, et Petri Alladii in illius tempore exstare in Alcobatiensis Monasterii Bibliotheca satis constat), apud Didacum Paivam Andradium *Exam. Antiq.*, Casparem Statium *de Antiq. Lus.*, Marianam *de Rebus Hispan.* lib. 1. cap. 6., Florianum a Camp. lib. 2., Macedum *Flor. Hisp.* cap. 14., Fariam *Europ. Portug.* tom. 1. p. 1. cap. 9., Castrum *Mapp. Port.* tom. 1. p. 2. capp. 1. 2. 3., Resendium *de Antiq. Lusit.* lib. 1., et alios, quorum vel solum numerum inire longum esset.

Digitized by Google

# CAPUT II.

## *DE JURE LUSITANO SUB ROMANIS.*

### *Non statim pulsis Carthaginiensibus Lusitani suis legibus vivere desierunt.*

§. X. FInito bello Punico secundo, et a P. Cornelio Scipione pulsis Hispania Carthaginiensibus, Romani Lusitaniam variis cladibus adtriverunt, interdum victi, interdum quoque victores. Cum tamen ipsi non nisi sero admodum ultimam victoriam canerent, Lusitani suis interim legibus moribusque vivebant.

P. Cornelius Scipio, cognomento Africanus, anno ante Christum Dominum 206., ab U. C. 548. ad Varronis sensum, quem Petavius, Abbas Lengletius in Fastis Consularibus, ceterique magni nominis Chronologi sequuntur, Carthaginem cepit, Hannibalem fugavit, et Poenos demum ab Hispania pepulit: atque hic felicissimus secundi belli Punici finis. Non tamen ipse propterea Lusitanos nostros subjugavit, et in suam, populive Romani potestatem redegit. Quare ab illius tempore ad Sertorium usque et ultra, quod 94. circiter annos complectitur, Lusitani suis legibus vivere non desierunt.

### *Hispaniae divisio.*

§. XI. Eodem fere tempore Hispania, quae initio una tantum, eaque Proconsularis Provincia erat, anno U. C. 557., ante Chr. 197., C. Cornelio Cethego, et Q. Minucio Rufo Consulibus in duas Provincias, Citeriorem, et Ulte-

Digitized by Google

riorem, divisa fuit: Citerior Cn. Sempronio Tuditano; Ulterior, sub qua Lusitania continetur, M. Aelio contigit.

Ad Provincias unus tantum cum exercitu, et imperio annuo Proconsul mittebatur: ad Hispaniam vero modo Consules, Praetores, Propraetores (quorum non semel imperium prorogatum legimus), modo alii Magistratus, prout e Republica esse videbatur, extra ordinem mitti consueverunt. In duas autem Provincias Romani Hispaniam diviserunt, vel quia eam non poterat unus commode gubernare, vel, quemadmodum ego existimo, ut multorum ambitioni et praedae inserviret, Strab. lib. 3., Plin. lib. 3. cap. 3., Liv. lib. 3. Decad. 4., et lib. 6. Decad 3., Paul. Oros. lib. 5. capp. 3. et 4., cet. Interea tamen Lusitania in mediis Reipublicae fluctibus sui juris erat, et neque Romanorum dominationem, neque eorum leges agnoscebat.

*Sertorii in Lusitania instituta.*

§. XII. Sertorius, Romanae originis homo, Lusitanorum dux creatus, Lusitanam Rempublicam ad Romanae normam exemplumque composuit. Senatum instituit, et huic novo in Lusitania ordini viros in civitate primarios adscripsit, Praetores, aliosque Magistratus juri dicundo creavit, nihilque praetermisit, quin Lusitanorum mores, quorum ipse genium probe noverat, ad Romanae Reipublicae formam, quantum fieri posset, adcommodaret. Gymnasium Graecis Latinisque literis tradendis Osca in civitate fundavit. Sed aetatem non tulerunt haec tam praeclara Sertorii instituta, eo insidiis M. Perpennae, intimi consiliarii, occiso.

Q. Sertorius, vir summae, sed calamitosissimae virtutis, propterea quod Mariannarum partium esset, a Sylla proscriptus excessit ex urbe, et variis ubique casibus jactatus, tandem ex Africa a Lusitanis adscitus, oblatum ab eis imperium anno circiter ab U. C. 674., ante Christ. Domin. 80., adcepit. Eboram, antiquam pariter, et nobi-

Digitized by Google

lissimam urbem, ad hiemandum elegit: et nimirum tanta rei militaris peritia, aliisque virtutibus praestabat, ut exiguis Lusitanorum copiis saepius Praetores, Proconsulesque Romanos, et ipsum non semel Metellum, et magnum Pompeium, amplissimos viros, vinceret, fugaret, prosterneret. Plutarch. in *Vit. Sertor.*, Appian. lib. 1. *de Civil. Bell.*, Oros. lib. 5., Paterc. lib. 2., Ammian. Marcell. lib. 26. Vid. Resend. *de Antiq. Lusit.* lib. 3., et *de Antiq. Ebor.*, Jacob. Menoet. Vasconcell. *de Eborens. Municip.* Verum tam breve illius imperium fuit, ut vix adduci possim, ut credam alios ab eo fuisse Lusitanorum mores. Osca vero civitas, in qua Sertorius scholam Graecae Latinaeque Linguae instituit, hodie *Sorita* adpellatur. Vid. *Hispan.* Lud. Non. cap. 83. apud Andream Schottum tom. 4. *Hispan. Illustr.* pag. 457.

*J. Caesar Lusitanos tandem subjugavit.*

§. XIII. Paulo postea Julius Caesar Lusitanos rebelles perdomuit, et cum is pacis foederisque tractatum, tempus in omne duraturum, inivit, a quo scilicet civitas, quam hodie *Bejam* dicimus, Pacis Juliae nomen adcepit. Ipse praeterea *Mertolam*, Juliam Myrtilem, *Santarem*, Julium Praesidium, *Olisiponem*, Felicitatem Juliam, *Eboram*, Liberalitatem Juliam adpellavit, iisque Romanos honores, privilegia, et Coloniarum, vel Municipiorum jura concessit, itaque effectum est, ut quos vi et armis vincere et subjugare non poterant, mira hac πολιτικῇ, et phantasmate illo Romani, Quiritariive juris subjugarint.

Quamvis, Viriato demum exstincto, L. Junius Brutus anno ad U. C. 618, ante Christ. Domin. 136., et L. Cornelius Dolabella anno 655., ante Christ. 99., de Lusitanis triumphassent, prout constat ex V. *Tabul. Viror. triumph.*, et in *tabulis Capitolinis* adnotatur: tamen Lusitania interea populus liber erat, nec Romanorum leges, eorumve dominationem agnoscebat. At vero Julius Caesar anno ab U. C. 693., ante Christ. 61., cum Lusitanos prius vi et armis perdomuisset, eos denique ex animo, et devotione in

Digitized by Google

suam, populique Romani potestatem redegit, cum eisdem Romana jura, honores et privilegia concessit, et pacem cum eis celeberrimam inivit, quae Pacensi Civitati nomen dedit. Brit. *Monarch. Lusit.* lib. 4. cap. 20. Quod vero Pax haec Julia, tantopere a Romanis celebrata, sit *Beja* apud Lusitanos, et non *Badioza*, seu *Badajoz* apud Hispanos (prout sibi cum paucis aliis persuasit Joannes Genesius Sepulveda lib. 3. *Epistol.* 34. *ad Philipp. II.*), ex Strabone, Plinio, et Antonini Pii *Itinerario*, ex Inscriptionibus et Numismatibus demonstrarunt Resendius in Epistola ad Joannem Vasaeum *Pro Colonia Pacensi*, Caspar Barrerius in sua *Chorographia*, idque Hispanorum doctissimi ingenue profitentur, Vasaeus *Chron. Hispan.* cap. 20. *de Episcopatib. Hispan. tempor. Rom. et Gothor.* tom. 1. *Hispan. Illustr.* pag. 626., Ambrosius Morales lib. 11. cap. 49., Marian. *de Rebus Hispan.* lib. 5. cap. 7. in fin.

## *Quae Lusitaniae sors sub Triumviratu, et Octavio Augusto.*

§. XIV. Julio Caesare in Senatu occiso, Lusitania sub Triumviratu M. Lepido obtigit: paulo tamen postea Octavius, rerum omnium potitus, eamdem sibi reservavit, neque eam, utpote Provinciarum omnium validissimam, fuit cum Senatu Populoque Romano partitus.

Sub Triumviratu Caesari Africa, Sardinia, Sicilia; Lepido Hispania omnis, et Gallia Narbonensis contigit. Dio Cass. lib. 46. n. 55., Appian. Alexandr. *de Bell. Civil.* lib. 4. Postea vero quam Augustus universam Hispaniam pacatam reddidit, et Cantabriae Asturiarumque populos vel per se, vel per suos Legatos Antistium, Firmium, et Agrippam subjugavit, et in Lusitania nostra ab emeritis veteranisque militibus nobilissimam civitatem, quam ab illorum, et suo nomine *Emeritam Augustam* adpellavit, aedificari fecit, Dio Cass. lib. 53. pag. 514., Barrer. *Chorograph.* pag. 14., Tillemont. *Histoir. des Emper.* tom. 1. Art. 7., quemadmodum reliquas Hispaniae Provincias, Tarraconensem, et Baeticam, ita in primis Lusitaniam, omnium certe validissimam, sibi praecipuam habuit, nec eam Senatui Populoque Romano sortito permisit. Dio lib. 53., Strab. lib. 3. Vid. Ambros. Moral. lib. 8. *Histor. Hispan.*

Digitized by Google

cap. 52., Marian. *de Reb. Hispan.* lib. 3. cap. 24. Et hac de re duplex. Dissertatio exstat *Collect. Academ. Liturg. Pontif.* ann. 2. Congr. 6.

## *Lusitaniae Magistratus, Conventusque Juridici.*

§. XV. Jam vero Lusitania, postquam Romanorum Provincia esse coepit, modo per Consules, Proconsules, et Praetores, modo per Legatos, Praesides, et Quaestores, modo per Comites, et Vicarios administrari consuevit. Ad lites autem judicandas tres Conventus Juridici constituti erant, Emeritensis, Pacensis, et Scalabitanus: atque hic initio ab Julio Caesare in Lusitania cum militarium, tum civilium rerum status erat, et οἰκονομία, quam Augustus, ejusque ad Honorium usque successores retinuerunt.

Quod varii Magistratus, et diversi ordinis Lusitaniae praeessent, passim legere est apud Romanos Scriptores; eorum quoque in Corpore juris mentio fit. De Consilio, seu Consule Baeticae, quae Lusitaniae quam finitima est, (sub ea namque non nulli tractus, qui ad Baeticam olim adtinebant, continentur) meminit Ulpianus in l. 1. D. *de abig.*; idem de Ignatio quodam Taurino, Baeticae Proconsule, cujus factum Imperator Hadrianus adprobavit mentionem facit in l. 4. *ad Leg. Cornel. de sicar.* Ad Maecium, sive Menium Probum, Provinciae Hispaniae Praesidem, rescriptum exstat in l. *Relegatorum* 7. §. 10. D. *de interd. et releg.* Diocletianus et Maximianus ad Severum, Comitem Hispaniarum, rescripserunt in l. 14. Cod. *de fid. instr.* Constantini Magni rescriptum quoddam ad Tyberianum, Hispaniae Comitem, habetur in l. 6. Cod. *de serv. fugit.* Et Arcadii et Honorii ad Petronium, Hispaniarum Vicarium, in l. 11. Cod. *de adquirend. et retin. possess.* Dubitari autem non potest, quod hujusmodi Magistratus Lusitaniae quoque, quae sub generali Hispaniae nomine veniebat, praeficerentur; quia licet haec ab initio in duas divisa esset Provincias, Ulteriorem, et Citeriorem, eamque Augustus in tres postea, Tarraconensem, Baeticam, et Lusitanam, distribueret; tamen sub posterioribus Imperatoribus veluti una tantum Provincia



Digitized by Google

cia ab uno administrari coepit, qui suos Tribunos, Legatos, Vicarios, Presidesque diversis habebat locis, quorum omnium munia fuse explicant Hottomann. *de Magistr. Roman.* in *Thesaur.* Graev. tom. 2. pag. 1880., Pighius *Annal. Rom.* tom. 1., Pancirol. *de Magistrat. Provinc.* capp. 18. et 19., Sigon. *de Antiq. Jur. Prov.* lib. 2. cap. 1. et seq., Henr. Kitschius *de Magistrat. Rom. eorumq. criter.* a cap. 6. cum seq. Hi vero Magistratus omnes juri quoque dicundo, et quidem potissimum, praepositi erant: ut vero faciliori via lites dirimerentur, Conventus Juridicos constituerunt apud Emeritam, Pacem Juliam, Scalabim, Bracaram Augustam (ne urbem hanc nostram praetermittamus, ut ut inter Lusitanas minime recensendam), a quibus Lusitani Jura petebant. Plin. lib. 3. cap. 3., et lib. 4. cap. 22. Vid. Brit. *Monarch. Lusit.* lib. 4. cap. 20., Far. tom. 1. *Europ. Portug.* p. 2. cap. 16., Resend. *de Antiq.* lib. 4., Ant. Vasconcell. *Descript. Regn. Lusit.*

## *Sub Imperatoribus et Romano, et Patrio jure vivebant.*

§. XVI. Habebant tamen Romani sub Imperatoribus, et jam a Julii Caesaris tempore, suas Colonias, et Municipia in Lusitania: itaque sub illorum dominatione Lusitani Patris Legibus in Municipiis vivebant: in Coloniis vero Romanis utebantur.

Jam ante Julium Caesarem, cum Lusitanos L. Junius Brutus anno U. C. 618. perdomuisset, Romani Lusitaniam in Provinciam redegerunt, eidemque leges ex Senatus, vel decem Legatorum, et Imperatoris sententia de more dederunt, prout ex Appiano refert Sigonius *de Antiq. Jur. Prov.* lib. 1. cap. 5. Verum eas non receperunt Lusitani, neque ad Caesarem usque Romanorum dominationi adquieverunt. Quare primus reapse in Lusitania Julius Caesar Colonias, et Municipia fundavit; idque eo tempore factum esse arbitror, quo pacem cum Lusitanis iniit Pacensi in Civitate. Illud vero non satis expeditum est, quae urbes Coloniarum, quaeve Municipiorum jure fruerentur. Paulus Jureconsultus in l. 8. D. *de censib.* duas tantum in Lusitania Colonias recenset, nimirum Emeritensem, et Pacensem, easque *juris Italici* esse ait. Plinius lib. 4. cap. 22. tres alias

[illegible], et quatuor praeterea Municipia commemorat, Olisiponem scilicet, Eboram, Myrtilim, et Salaciam: Olisiponense Civium Romanorum, reliqua veteris Latii Municipia fuisse tradit. His triginta sex oppida stipendiaria adnumerat Plinius cit. loc.

*Romanorum vero juris varii generis erat.*

§ XVII. Quae autem fuerint Leges Patriae, quibus Lusitani in Municipiis vivebant, jam supra indicavimus. Jus vero Romanum, quo in Coloniis utebantur, pro diverso illarum jure diversum aliquantulum erat: illudque in albo, et Edictis Proconsulum, Praesidum, aliorumque Magistratuum provincialium secundum leges Provinciae de decem Legatorum sententia latas fere continebatur. Obtrudebantur quoque Lusitanis reliquae Romanorum leges: utramque tamen paginam faciebant Principum Constitutiones, et Rescripta.

Jus Provinciale, quod alio nomine formula Provinciae nuncupatur, aliud certe erat a Quiritum, Civium Romanorum, Latii, et Italiae jure. Illud autem Provinciae dabant vel Senatus, Populusque Romanus, vel Imperator de quinque, aut decem Legatorum consilio. Sigon. *de Antiq. Jur. Provinc.* lib. 1. cap. 1. Lusitanis vero leges Julius Caesar eorum permissu dedit, illorum controversias amice, atque de omnium voluntate composuit; debitorum et creditorum disceptationes sedavit, jussitque, ut ex illorum bonis et proventibus duas creditor partes singulis annis desumeret, reliquis dominus, quoad aeri alieno satisfecisset, frueretur. Vasaeus *Chronic. Hispan.* cap. 12. Colonias praeterea Romanas, Magistratus, et Praesidia in Pacem Juliam, Scalabim, et non nullas alias per Lusitaniam civitates deduxit, quarum jura, et vectigalium genera Magistratus ipsi Provinciales vel viva praeconis voce denuntiabant, vel Edicto publice proponebant; hoc enim legum veluti codex erat, in quem multa cum ex generalibus Provinciarum et Civitatis ipsius legibus, tum ex urbanis Edictis referebantur. Heinecc. in *Append. Antiq. Roman.* lib. 1. cap. 4. Frequentissimae tamen sub Imperatoribus erant Principum Constitutiones, et Rescripta,

Digitized by Google

quae dici vix, ac ne vix quidem potest quantum in posterum Romanorum Jurisprudentiam onerarint: nam (ut peregrina exempla omittam, quae passim in Justinianei Juris collectione invenire licet) ad Bassum quemdam, Lusitaniae P. P., vel ad Lusitaniae Episcopos, eorumve Legatos missa fuit celebris Constantini M. Constitutio, Petronio Probiano, et Anicio Juliano Consulibus, data VII. Cal. August. anno Dom. 322., quae exstat in l. 1. Cod. Theod. *de Const. Princ.*, et habetur etiam, sed ex parte interpolata, in l. *Si qua.* 4. Cod. *de divers. rescript.*, et can. *Dicenti* 16. §. *Si qua* 7. C. XXV. q. 2., et eidem scilicet occasionem dedit immensa Constitutionum Imperialium silva sine die et Consule. Vid. Jacob. Gothofred. ad l. 1. Cod. Theod. *de Constit. Princip.*

## *Ab Hadriani temporibus eodem jure vivebant.*

§. XVIII. Quia vero civibus multum perniciosa esse solet juris legumque diversitas, Imperator Hadrianus tam in Urbe, quam in Provinciis certa et immutabilia jura generali perpetuoque Edicto definivit. Postea vero Antoninus Bassianus omnibus Imperio Romano subjectis aequàlia jura concessit: itaque ab hoc tempore municipiis extinctis, Lusitani Coloniarum jure, id est, Romanis tantum legibus utebantur.

Sub Romanorum dominatione non semper unum idemque jus Lusitaniae viguit. Ebora, Myrtilis, Salacia antiqui Latii, Olisipo civium Romanorum municipium erat, ab ipso Caesare civitate Romana donatum. Plin. lib. 4. cap. 22., Dio Cass. 41. et 43. Vid. Dam. Goes. in *Descript. Olisip.*, Resend. *de Antiq. Ebor.*, Vasconcell. *de Eborens. Municip.* Pacensis et Emeritensis civitas jure Italico fruebantur, l. 8. D. *de cens.* Imperator Vespasianus universae Hispaniae Latii jus tribuit. Plin. lib. 3. cap. 3. in fin. Eidem Trajanus, Hispanus homo, potissimum favit. Tillemont. *Histoir. des Emper.* tom. 2. in ejus vita. Neque Hispaniarum ipsi Proconsules et Praesides ex suis Edictis perpetuis jura dicebant, sed singulis annis nova prodebant jura, quae saepius ex amore, vel odio immutabant. Dio Cass. *Histor.* XXVI. Vid. Thomas. *de Naevis Jurisprud.*

Digitized by Google

*Ante Justin.* I. 7. Cum vero Imperator Hadrianus facile animadverteret, quae et quanta mala ex hac jurium diversitate orirentur, generali perpetuoque Edicto, opera Salvii Juliani condito, anno ab U. C. 884., Christ. 131., Ser. Octavio Laenate Pontiano, et M. Antonio Rufino Consulibus, decrevit, ut Magistratus omnes et in Urbe, et in Provinciis ad illius praescriptum jura redderent, et ut Regiae Urbis leges civitates Romanae sequerentur. Baron. *Annal. Eccles.* ad ann. Christ. 134. tom. 2. n. 2., Anton. Pagi. *Critic. Baron.* tom. 1. pag. 127., Tillemont *Histoir. des Emper.* tom. 1. Art. 9. et 11. Edidit postea Antoninus Caracalla celeberrimam illam Constitutionem ab Ulpiano relatam in l. 17. *de stat. homin.*, qua omnibus Imperio Romano subjectis eadem et aequalia jura concessit, ubicumque terrarum essent, sive in Urbe, sive in Latio, sive in Provinciis. Spanhem. in *Orb. Rom.*, seu ad eamdem Imperatoris Antonini Constitutionem *Exercit.* 2. cap. 1. tom. 11. *Thesaur.* Graev. Verum quamvis Hadrianus Provinciis omnibus certa ut perpetua jura dedisset, diversitates tamen jurium Italici, Provincialis, Latii, et Romani non sustulit, quod sub Caracalla demum factum fuisse constat: nec etiam audeo adfirmare, quod Municipia in Lusitania et reliqua Hispania extinxerit, prout non nulli comminiscuntur, et pro certo tradidit egregius apud Olisiponenses Senator, et Juris Civilis emeritus Professor Emmanuel Pereira a Silva peculiari Dissertatione *de Legibus, quibus Lusitani sub Romanis utebantur*, quae habetur tom. 3. *Collect. Academ. Liturg.* pag. 75. Illud tamen exploratum interea sit, Lusitaniam nostram, et reliquam Hispaniam ab Hadriani et Antonini temporibus certiori, perpetuo, et civium Romanorum jure esse usam, quod quidem non temere sequentes ad Honorium usque Imperatores abrogarunt.

Digitized by Google

# CAPUT III.

## DE JURE LUSITANO SUB GOTHORUM REGIBUS.

### *Alani Lusitaniam occupant.*

§. XIX. SAeculo Christiano quinto decurrente, Honorio VIII., et Theodosio, Arcadii filio, III. Consulibus, Wandali, Suevi et Alani Hispanias invaserunt. Illi sub Gunderico et Hermenerico Regibus Galleciam et Bracaram; Alani sub Resplendiano Lusitaniam occuparunt, et Imperii sedem apud Emeritam Augustam posuere.

Barbarorum in Hispania dominatio initio saeculi quinti incepit anno Domini 409., aerae Hispanicae 447., ab U. C. 1162. Abb. Lenglet *Tabl. Chronol. de l'Histoir Modern.* pag. 52., Musant. *tab.* 18. *VII. aetat.*, quibuscum fere consentiunt Hispani, Lusitanique Scriptores, Isidorus, et Idacius, Hispanienses Episcopi, et Joann. Vasaeus in *General. Hispan. Ostrogothor. et Wandalor. Chronic.*, Rodericus, Archiepiscopus Toletanus, lib. 2., Rodericus Cancius, Episcopus Palentinus, 1. p. cap. 8., Joann. Marian. lib. 5. cap. 1., Lucius Marinaeus Siculus *de Reb. Hispan. memorab.* lib. 3., Britus *Monarch. Lusit.* lib. 6. cap 3., Resendius *de Antiq. Lusit.* lib. 3.

### *Gothi eadem potiuntur.*

§. XX. Perbreve tamen fuit Alanorum in Lusitania imperium, victo namquam Atace, eorum Rege, ab Wallia Gothorum, Ataulphi successore, utrique in Wandalorum potestatem ceciderunt. Verum Leovigildus finem imposuit Regno Wandalorum in Gallaecia et Lusitania, et initium fecit Gothorum in Hispania Monar-

Digitized by Google

chiae: non quod primus ipse ibi imperarit, sed quod imperii limites valde dilatarit, et Regiam ab Hispali, ubi ab Amalarico fuerat collocata, ad Toletum transtulerit.

Alanorum in Lusitania imperium sub impio Atace periit, et partim ad Wandalos, qui Gallaeciam sortiti erant, partim ad Suevos, qui Olisiponem tenebant, translatum fuit. Andeca, ultimus Suevorum Regum, Lusitanis imperavit; eo namque apud Pacem Juliam vinculis constricto, illorum Regnum desiit, et Gothicum sub Leovigildo incoepit, qui sua sub potestate Gallaeciam, Lusitaniam, et universam fere Hispaniam habuit ann. 586. Vide, sis, Idacium, et Joannem Biclarensem *Chron. Hispan.*, Gregorium Turonensem lib. 6. *Histor. Francor.* cap. 43., Rodericum, Toletanum Archiepiscopum, in *Histor. Ostrogothor.* cap. 21., Savedram *Coron. Goth.* capp. 1. 2. et seq.

*Suevorum leges quae fuerint, non constat.*

§. XXI. De Suevorum legibus, et jure, quo, iis imperantibus, Lusitani usi fuerunt, nihil est quod in tanta temporis obscuritate pro certo adfirmari possit. Cum enim ob nimiam crudelitatem, vel ob Arianismi professionem adeo nostrorum hominum odium incurrerent, ut ne eorum quidem nomina reminisci vellent; quid mirum, si ipsorum res gestas, leges, mores, et id genus alia, quae ad civilem statum spectant, silentio praetermitterent? Adcedamus ergo ad paulo meliora Gothorum tempora.

Suevorum imperium annis circiter 177. in Lusitania stetit, Idacius, et Joannes Biclarensis in *Chron.* Quae autem eorum et Wandalorum leges fuerint, hodie penitus ignoramus, neque de iis nostri, aut Hispani Scriptores quidquam praeter belli quosdam successus vel leviter attingunt. His tamen imperantibus conditum fuit Concilium Bracarense primum anno 411. (si fides adhibenda ejus Actis a Brito editis; quam tamen Critici illis fere denegant): secundum anno 563.; tertium 572.; et alia bene multa, et memoratu dignissima evenerunt, quae Ecclesiasticam

Digitized by Google

Lusitaniae historiam multum juvare possunt. Verum haec, et similia ad institutum nostrum non spectant, et ea nimirum omnia prosequitur vir adprime doctus D. Thom. ab Incarnation. tom. I. et II. *Histor. Eccles. Lusit.*

## *Gothorum mores, et Codex legum.*

§. XXII. Gothi Hispania tandem fere universa potiti, Lusitaniae nostrae a Leovigildo ad Rodericum usque, Regem ipsorum ultimum, imperarunt, et sedem Imperii potentissimi apud Toletum posuere. Initio autem quam barbara Gothica gens esset, Romani Scriptores passim testantur: paulatim tamen, humaniorum gentium consuetudine civiliores in dies effecti, pristinos mores amiserunt, literas et Philosophiam adamarunt, et Systematicum quemdam Legum Codicem ediderunt, in quo multa, eaque egregia civilis sapientiae specimina inveniuntur.

Suevorum et Wandalorum Regno exstincto sub Leovigildo Rege ann. 585., Gothicum successit. De gentium harum et populorum origine et moribus, non est quod plura dicam, cum satis otium nobis fecisse videantur tres illi magni mediae aetatis Scriptores Jornandes, Episcopus Ravennatensis, Isidorus Hispalensis, et Paulus Diaconus, conjunctim editi a Friderico Lindenbrogio, Hamburgi 1611. 4., itemque Lucius Marinaeus Siculus, Michaël Ritius, Rodericus Ximenius, Rodericus Santius, Joannes Vasaeus, et plures alii apud Andr. Scott. tom. 1. 2. 3. *Hispan. Illustr.* Dubitari autem vix potest, quod populi hi omnes initio satis rudes essent, atque barbari, quod brutorum magis, quam hominum vitam viverent, Isidor., lib. 9. *Etymolog.*, Jornand. cap. 3. et seq., et quod denique literarum usum penitus ignorarent, quarum primus eos inter Ulphilas, Gothorum Episcopus, saeculo IV. inventor fuit. Sozomen. *Histor. Eccles.* lib. 6. cap. 37., Socrat. lib. 4. *Histor. Eccles.* cap. 33. Postea vero a Diceneo Philosopho Ethicis, Logicis, Astronomicisque instituti, Jornand. *de Reb. Goth.* cap. 11., Roder. Tolet. *de Reb. Hisp.* lib. 1. cap. 15., barbaros sensim mores exuerunt, et qualemcumque eruditionis laudem compararunt. Silberrad.

Digitized by Google

*Observat.* (61.) ad Heinecc, lib. 2. *Histor. Jur. Germ.* cap. I. §. I. Certe illorum Legum Codex praeclara multa continet. Prodiit, is primum lingua Hispanico Gothica sub titulo: *Fuero Juzgo* Petrus Pithoeus eum postea latine vertit, et inscripsit: *Codicis Legum Wisigothorum Libri XII.* Paris 1579. Habetur apud Lindenbrogium *Codice Legum Antiquarum*, et Andr. Schottum tom. 3. *Hispan. Illustrat.* pag. 855. (et Venet. 1789. apud Fr. P. Canciani *Barbaror. Legg. Antiqq.* vol. IV.).

### *De auctore Codicis Legum Wisigothorum.*

§. XXIII. Wisigothorum Legum Codex ab Eurico primum coeptus, dein a Leovigildo auctus, a Chindasuindo, et Recesuindo filio demum recognitus, et in ordinem eb eo, tamquam ab altero Justiniano, digestus, ab Ervigio tandem Rege in lucem editus fuit sexto Calend. Febr. anno 682. Duodecim libros continet, et 54 titulos, in quibus multa cauta inveniuntur de haereticorum atque Judaeorum erroribus amputandis, de publicis privatisque criminibus, de judiciis, contractibus, et legitimis successionibus quorum non nulla referre placet, ut constare inter omnes possit Gothorum leges esse sapientiores, quam vulgo creduntur.

Primus inter Gothos leges tulit Euricus; qui regnare coepit aer. Augusti, seu Hispanica 504, Chr. 466. Leovigildus postea anno 568. aer. 606., centum circumactis annis, legum numerum nimium, adauxit: non tamen sub eo fuerunt in codicem aliquem redactae, Chindasuindus Rex anno 643. hoc primum curavit: ejus filius, et successor Recesuindus multas extravagantes leges adjecit: et denique saeculo VII. anno 682. Ervigius celeberrimum illum Legum Wisigothorum Codicem publicavit primo imperii sui anno. Pithoeus in *Epistol. ad Franc. Roald.* tom. 3. *Hispan. Illustr*, pag. 842. Isidor. *Chron. Gothor.* ad ann. 504. et 608., Roderic., Toletanus Archiepiscopus, *de Reb. Hispan.* lib. 2. cap. 10., Franc. Tarapha *de Reg. Hispan.* ad ann. 483., Savedra *Coron. Gothic.* cap. 8., Alphons. a Carthag. *Anaceph. Reg. Hisp.* cap. 16.

Digitized by Google

*Gothorum Criminalis jurisprudentia.*

§. XXIV. Ab eorum itaque criminali jurisprudentia ordiamur. Admittebant in maleficiis, et criminibus, praesertim publicis, tormenta et quaestiones reorum, item judicium aquae ferventis, lib. 6. tit. 1. ll. 2. 3.: servos in capite dominorum torquebant, l. 4.: veneficos et homicidas aliquando morte, aliquando servitute perpetua puniebant; quos, si ad Ecclesiam confugerent, ea tantum conditione tradebant, ut mortem nunquam subirent, sed in potestate parentum occisi, vel propinquorum perpetuo manerent: iis vero quaeque de eo statuere vellent, vitae periculo excepto, amplissima potestas erat; itaque ita et publicae utilitati, et Ecclesiarum immunitati optime consuluisse credebant, lib. 6. tit. 5. l. 19., et lib. 9. tit. 3. ll. 1. 2. 3. 4. Furti, plagii, et peculatus crimina modo in duplum, vel quadruplum, modo flagellatione, modo perpetua servitute, morte vero nunquam mulctabant, lib. 7. tit. 2. et 3. Iis autem, qui literas Regias, et pecunias publicas corrupissent, adulterassent, fecissent, sculpsissent, manus abscindebantur, lib. 7. titt. 5. et 6.

*Connubiorum jura.*

§. XXV. Gothis pariter ac Romanis promiscua erat connubii matrimoniique licentia, lib. 3. tit. 1. l. 1. Non poterat filia contra voluntatem parentis alteri nubere, quod si fecisset, ipsa ejusque seductores in potestatem illius, cui pater eam desponsam haberet, perpetuo addicebantur, lib. 3. tit. 1. l. 2. Illud praeterea cautum erat, quod nuptiae non nisi tradito, receptove annulo irrevocabiles fierent; quod feminae natu minores viris dumtaxat aetate majoribus in matrimonium darentur; quod a

Digitized by Google

die sponsionis ad nuptiarum diem non amplius, quam biennium, exspectaretur; quod sine dote nullum conjugium esset; quod dotis nomine non amplius peti posset, quam decima pars eorum, quae in bonis sponsae esse constiterit; et quod denique dos in dominio tantum uxoris perpetuo foret, quam tamen ipsa poterat, liberis non exstantibus, marito ejusve consanguineis donare, eod. lib. et tit. ll. 3. 4. et 5.

*Judicialis ordo.*

§. XXVI. De contractibus plura habentur lib. 5. tit. 4. et 5., ubi quaestiones minutissimas, et in foro quotidie obvenientes adinvenies. Judicium a citatione, quam *ammonitionem* vocabant, incipiebat. Commonitus reus, si praestituto die non comparebat, quinque auri solidos petitori, et alios quinque judici solvere damnas erat, lib. 2 tit. 1. l. 18. Ab utraque parte probationem per testes idoneos, vel scripturas exigebant; jusjurandum enim remedium subsidiarium erat, nec ei, nisi ordinariis probationibus deficientibus, locus erat, lib. 2. tit. 2. l. 5., et tit. 1. l. 22. Unusquisque poterat vel suam, vel alienam litem in judicio procurare, femina autem non nisi suam, lib. 2. tit. 3. ll. 6. et 7. Nec fas erat homini potentiori, quam ipse erat, quocum res agebatur, causam committere, eod. lib. et tit. l. 9. In judicio solum Codex Gothicus auctoritatem habebat, remotis aliarum gentium, etiam Romanorum, legibus, eod. lib. tit. 1. ll. 9. 10. Neque poterant judices causam, quae in eo definita non erat, judicare, sed litigantes ad Principem remittebant, ut ab eo jus et legem sciscitarentur, ibid. l. 12. Ea vero omnium certe saluberrima et sapientissima lex est, quae habetur lib. 2.

Digitized by Google

tit. 2. l. 8. hisce conceptis verbis: *Quicumque habens causam ad majorem personam se propterea contulerit, ut in judicio per illius patrocinium adversarium suum possit opprimere, ipsam causam, de qua agitur, etsi justa fuerit, quasi victus perdat: liceat judici, mox ut viderit quemcumque potentem in causa cujuslibet patrocinare, de judicio eum abjicere. Quod si potens contempserit judicem, et proterve resistens de judicio egredi, vel locum dare judicanti noluerit, potestatem habeat judex ab ipso potente duas auri libras, unam sibi, alteram parti ejus, cui potens ipse adversarius exstitit, profuturas exigere, et hunc cum injuria violenta a judicio propulsare.* Exstat in hanc sententiam apud nos Ordinatio lib. 3. tit. 39., Emman. lib. 3. tit. 84., Alphons. lib. 5. tit. 118.

### *De Gothorum Magistratibus.*

§. XXVII. Gothorum Magistratus vel majores erant, vel minores. Eos inter primo loco habebantur Duces, qui universae Provinciae praeerant, et Comites, qui singulis civitatibus praeficiebantur. Hi pro muneris diversitate varia nomina sortiebantur: eorum omnium erat non modo militaria, sed civilia quoque negotia providere. Causas ipsi vel per se judicabant, vel aliis judicandas committebant, et, siquando a civitate abesse contingeret, Praepositum quemdam, seu Vicarium nominabant, qui vices suas gereret, et illorum nomine civitatis res administraret. Non longe a Comitibus officio et dignitate distabat Tiuphadus: Tiuphado autem Gardingus antecessisse videtur. Singuli autem Magistratus suos ministros et adparitores habebant, quos Sayones adpellabant.

Qui fuerint Magistratus apud Gothos, cum Militares, tum Civiles, seu Politici, quae eorum munia, et quae de-

nique officia Regiae Domus Gothorum, ex professo tradidit Petrus Pantinus *de Dignitatibus et Officiis Regni, ac Dom. Reg. Gothor.* tom. II. *Hisp. Illustr.* pag. 195. Ejus tamen industriam longe superavit Cajetanus Cenni *de Antiq. Eccles. Hisp.* tom. II. Dissert. II. cap. 2. Vid. *Cod. Wisig.* lib. 2. tit. 4. l. 4., et lib. 9. tit. 2. l. 9.

## *Quo jure Lusitani sub Gothis uterentur.*

§. XXVIII. Jam vero ut a calce ad carceres, ut dicitur, revertamur, credendum est Lusitanos initio sub Gothorum Regibus ad Recesuindum usque et Municipali, et Romano jure esse usos. Tanta nimirum erat Gothorum Principum humanitas, ut gentibus devictis suas leges servarent, et optionem darent, qua lege utivellent. Recesuindus tamen, ad supremum Gothici in Hispania imperii fastigium evectus anno 650., Romani Juris usum proscripsit: itaque ab illius tempore tam Gothi, quam Lusitani uno, eodemque jure, et codice uti coeperunt.

Wisigothorum Principes arbitrium faciebant subditis, qua quisque lege vivere vellet, Gothica, an Romana. Gregor. Turon. *Histor. Francor.* lib. 2. cap. 33., Cassiador. *Variar.* lib. 1. cap. 1.; et lib. 3. cap. 4., Anton. Math. *de Nobilit.* lib. 1. cap. 27. pag. 107. et seq. Notum est Edictum Theodorici, Ostrogothorum in Italia Regis, quod *leges Romanorum Principum in negotiis hominum custodiendas esse praecipiebat*, apud Lindenbrog. *Cod. Legg. Antiquar.* pag. 239. et seq., cujus meminerunt Gelasius Pontifex apud Ivon. p. 4. cap. 180., et apud Gratian. Dist. X. can. *Certum* 12. In Hispania nostra, si Arthuro Duckio *de Usu et Auctorit. Jur. Civil. Roman.* lib. 2. cap. 6. n. 14. credimus, Ataulphus inter Wisigothos primus circa annum 412. Edicto subjectis mandavit: *Ut Romanas Leges simul cum Gothicis servarent.* Neque enim, ut ego existimo, primi Gothorum Reges speciales ullas leges tulerunt. De Eurico autem dubitari certe non potest, quod pluribus legibus Gothico-Hispanicam Monarchiam ornarit. Isidor. Hispal. *Chron.* ad ann. 504., Sidon. lib. 8. cap. 3., Savedra *Coron. Goth.* cap. 8. Eum quippe auctorem habent

Digitized by Google

leges Euricianae, seu Theodoricianae celeberrimae, quae non sunt profecto referendae Theodoricis duobus, majori, vel minori, prout sibi persuasit Baron. *Annal.* ad ann. 468. n. 11., neque Theodorico Ostrogothorum in Italia: sed Eurico nostro in Hispania Wisigothorum Regi, qui et ipse Theodoricus dictus fuit, ut notant inter alios Savaron ad Sidon. Apollin. lib. 2. cap. 1., Savedra *Coron. Goth.* cap. 8. Et ejusdem (Eurici scilicet) leges sunt, quae hodie in Wisigothorum Codice notantur vocabulo *Antiqua*, Joann. Mart. Silberrad. *Not.* (83.) ad Heinecc. *Histor. Juris German.* lib. 2. cap. 1. §. 11. Alaricus in Hispania, ejusdem Eurici successor, ex Theodosiano, Hermogeniano, Gregorianoque codicibus, Pauli Sententiis, et Caii Institutionibus suum Alaricianum Codicem confecit, eumque publicavit ann, 506., de quo plura habet Gothofredus *Prolegom. Cod. Theodosian.* cap. 5., Schulting in *Praef. ad Jurispr. Ante-Justin.* Plures quoque sub Leovigildo ad Recesuindum et Ervigium usque latae leges fuerunt, quo regnante, saepius repetitus Wisigothorum Codex in lucem prodiit ann. 682. Leges autem has Gothicas non omnes ex jure Romano decerptas esse multi jam diu observarunt. De Alariciano Codice nulli dubium est. De Euricianis, Leovigildianis, Chindasuindianis, et de iis generaliter omnibus, quae eorum codice habentur, quod ex Theodosiano, et ejus Compendio Alariciano non pauca traxissent, ostendi potest ex leg. 9. lib. 5. tit. 5. cum l. 1. Cod. Theodos. *de usur.*, et ex leg. 1. tit. 1. lib. 3. cum l. unic. Cod. eod. *de nupt.* collatione, et ex iis denique, quae constituta legimus de testamentis, lib. 2. tit. 5. l. 12., nec non de peculio filiorumfamilias lib. 4. tit. 5. l. 5. Ipsius etiam Codicis Justinianei imitationem deprehendimus in divisione Codici Wisigothici in XII. libros facta. Haec tamen ut ut vera sint, certum interim etiam est Gothicas leges multa specialia continere, quorum non nulla nos jam supra indicavimus, quae ex Romanorum legibus minime derivantur. Et vero, ut jam ad propositum nostrum proprius adcedamus, non dubitamus adserere, quod Lusitani sub Gothorum Regibus et Patrio Jure, et Romano initio uterentur: hoc autem fere in Edicto Perpetuo, Theodosiano, et Alariciano Codice scriptum erat; nam in occidente non magnus erat Justinianei Juris his temporibus usus. Conring. *de Origin. Jur. German.* cap. 4. et 5., Gothofred in Prolegom. Cod. Theod. cap. 3., Innoc. Ciron. *Observat. Jur. Canon.* lil. 5. cap. 2. Verum Romani, et Patrii Juris in Lusitania, et reliqua Hispania usus ad Recesuindum Regem obtinuit, quippe qui legem tulit ann. 660., ut deinceps leges dumtaxat Wisigothicae in foro auctoritatem haberent: exstat

Digitized by Google

haec lex lib. 2. tit. 1. §§. 9. et 10., et illius meminerunt Heineccius *Histor. Jur. German.* lib. 2. cap. 1. §. 15., et Gothofredus *Proleg. ad Cod. Theodos.* cap. 7.

# CAPUT IV.

*DE JURE LUSITANO SUB LEGIONIS REGIBUS, ET ARABUM DOMINATIONE.*

## *Saraceni Hipanias invadunt.*

§. XXIX. Rodericus illo semper fatali ac memorabili proelio prope Assidonam urbem, quam Xeritium vocant, immensa barbarorum multitudine oppressus, ac tandem devictus, potentissimo Gothorum Regno finem imposuit. Hac victoria parta, Hispania pariter ac Lusitania non post multos annos, et longum temporis intervallum, ut plerumque fieri solet, sed continuo et repente, quasi fulminis ictu perculsa, in Saracenorum potestatem devenit, et sub eorum jugo ac miserrima servitute tamdiu ingemuit, quamdiu singulari Dei Optimi Maximi beneficio, et Alphonsorum, Castellae et Portugalliae Regum, insigni virtute atque potenti manu liberata non fuit.

Memorabile hoc proelium, cujus ipse Rodericus testis et spectator fuit, in annum Christ. incidit 714. Vasaeus *Chron. Rer. Hispan.* Alii aliter calculum ponunt. Regnarunt Gothi in Hispania 150 annis, in Lusitania 128. Sed, quae est rerum humanarum vicissitudo et inconstantia, illorum Regnum florentissimum hoc uno die et inauspicatissimo bello desiit. De Roderico quid actum sit, non constat: quidam in acie occubuisse putant, et hoc verosimilius est: quidam ad Lusitaniam confugisse, ibique ignobili in oppido, quod *Pederneiram* hodie vocant, cum

Digitized by Google

Monacho, qui dicebatur *Romanus*, Maurorum metu delituisse tradunt, tandemque apud Viseum diem suum obiisse, non alia ratione sibi et aliis persuadent, quam quod ita scriptum legant in chartula Donationis cujusdam *D. Fuas Roupinho* 10. Decembr. aer. 1220. Sed hoc investigent alii. Illud tamen certum est, post duceutos ferme annos in templo quodam apud Viseum civitatem lapidem hac insriptione esse repertum, apud Ambros Moral. *Chron. Hispan.* lib. XII. cap. LXIX.:

*HIC . REQUIESCIT . RUDERICUS ULTIMUS . REX . GOTHORUM.*

## *Pelagius Legionense Regnum fundavit.*

§. XXX. Interea tamen Pelagius, ex Regio Gothorum sanguine oriundus, a Christianis, qui in Asturiarum montes confugerant, Rex consalutatus, Legionensis Regni fundamenta jecit, quod, exiguis licet initiis ortum (constabat enim ex reliquiis exercitus, et paucis aliis hominibus, qui ab Hispaniae generali clade, tamquam fractae e naufragio tabulae, supererant), successu temporis potentissimum fuit, et Gallaeciam, Castellam atque nostram Lusitaniam sub sua ditione habuit.

Anno circiter 718. Christiani, qui in Asturiarum montes secesserant, Pelagium, unde Legionis Regnum; qui in Pyrenaeos, Garciam Ximenium, unde Navarrae, Regem salutarunt. Lusitani nostri ad tempora usque Henrici Comitis Legionensis Regis majestatem comiter venerati sunt. Castellani, Ordonii secundi impietate commoti, ab illius fide defecerunt anno. 887., et ex gente sua judices, seu Comites elegerunt, quorum alter juri dicundo, alter bellicis praecesset rebus. Vide, sis, hac de re Vasaeum *Chron. Hispan.*, Luc. Marin. Sicul. *de Reb. Hispan.* lib. 7., Marian. lib. 10., Laur. Vall. *de Reb. a Ferdinand. Aragon. Reg. gest.* lib. 1., Roder. Archiepisc. Tolet. *Histor. Ostrogothor.*, etc.

Digitized by Google

*Gothorum Codicis usus sub Legionis Regibus.*

§. XXXI. Legionis a Pelagio Reges eadem fere omnia usurparunt, quae apud Gothos, quorum successores esse videbantur, in usu erant: iidem apud eos mores et leges, eadem Magistratuum tum civilium, tum militarium munera, et eadem denique domus Regiae officia. Singulis civitatibus Comites, singulis provinciis Duces praeficiebantur, quorum erat Rempublicam in partes utrisque concreditam pro re nata administrare, et jura unicuique reddere, secundum tamen receptos mores, et Wisigothorum leges.

Legionenses Reges nullas fere leges dederunt usque ad annum 983., neque alio jure et codice, quam Wisigothorum, usi fuerunt. Singulis civitatibus, statim atque erant a Maurorum potestate liberatae, Comitem unum praeficiebant, quem penes erat belli pro re nata gerendi, et juris dicundi potestas; de reliquo instituta Gothorum ad unguem servabant. In Conciliis sub iis habitis Comitum nomina passim invenire licet: sed eorum scholium contexere otium non est. Vide tamen Isid. Hispal. *de clar. Hispan. Scriptorib. atque Episcop.*, et illius *Chron. Goth.* De Wisigothici Codicis auctoritate et usu ad saeculum usque XIII. plura habet Majansius Epist. 16. ad Doct. D. Joseph. Bern. libello inscripto: *Cartas Morales, Militares, Civiles*, tom. 3 Valent. 1737.

*Non nulla ei addidit Alphonsus V.*

§. XXXII. Alphonsus tamen V., Legionensis Rex, plurima postea addidit Wisigothorum Codici, et multiplices novas leges tulit, quas saeculo XI. Concilium Coyacense, Lusitaniae et Gallaeciae generale, anno 1050. confirmavit.

Wisigothorum Codex ad annum usque 983. in foro regnavit. Verum eodem anno Alphonsus V., ad Legionensis Regni fastigium evectus, novas alias leges tulit contra

Digitized by Google

tra, vel praeter antiqui Codicis rationem. Joann. Vas. *Hisp. Chron.*, Faria *Europ. Portug.* tom. 1. p. 4. cap. 17., Marian. lib. 8. cap. 11. Quales autem leges hujusmodi fuerint, eae certe in Lusitania obtinebant, atque ita constat ex Canone 8. Concilii Coyacensis, Castro Coyanea Dioeceseos Ovetensis sub Ferdinando Rege habiti aer. 1088. ann. Christ. 1050., apud Aguirr. tom. 4. *Concil. Hispan.*, per haec verba: *Octavo autem Titulo mandamus, ut in Legione, et in suis terminis, in Gallaecia, et in Asturiis, et Portugale, tale sit judicium semper, quale est constitutum in Decretis Adelphonsi Regis pro homicidio, pro rauso, pro sayone, aut pro omnibus calumniis suis. Tale vero judicium sit in Castella, quale fuit in diebus avi nostri Sanctii Ducis.*

## *Quo Jure sub Mauris Lusitani uterentur.*

§. XXXIII. Haec de civitatibus, quae Christianis Principibus parebant. De his vero, quae sub Maurorum potestate erant, idem fere dicendum. Arabes in qualibet provincia Comitem quoque unum, et alios minores Magistratus ex Christianorum ordine eligebant, qui eisdem secundum Gothorum leges jura darent; mero tamen imperio et vitae necisque potestate haud fruebantur, nisi prius ipsi illorum decreta firmassent, et sententias ratas habuissent. Haec omnia, si Christiani in judicio disceptarent; nam si Arabes inter se, aut cum Christiano litem agerent, vel exciperent, sive criminalis ea esset, sive civilis, judices ii tantum et arbitri erant.

Arabes Lusitania potiti religionis libertatem, et civilium legum optionem reliquerunt; nihilque fere aliud praeter immensam tributorum summam a nostris exigebant: debebant tamen Christiani factiones et conventus evitare: neque iis fas erat illorum Regibus, et Prophetae maledicere, seque ab eorum dominatione subtrahere. Hinc occasionem saepius adripiebant Christianos adcusandi, in eosque immaniter saeviendi. De barbarorum in Lusitania, et reliqua Hispania legibus, moribus, et successione, nostrum non est dispu-



Digitized by Google

tare. Vid. Roder. Archiepisc. Toletan. *Histor. Arab.* Britus noster *Monarch. Lusit.* 2. p. lib. 7. cap. 7. donationem quamdam, seu privilegium exhibet Monasterio Lorbaniensi concessum ab Alboacemo, Conimbricae Comite, seu Gubernatore, ex quo, quas leges Christianis Mauri dederint, videre est.

# CAPUT V.

## *DE JURE LUSITANO SUB HENRICO COMITE, ET VENERABILI ALPHONSO PORTUGALLIAE REGE.*

### *Henricus Portugalliae Comitatum in dotem adcepit.*

§. XXXIV. ALphonsus, hujus nominis sextus, Legionis, Castellae, Gallaeciae, et Portugalliae Rex, filiam suam Therasiam, quam ex Simena Munione habuit, in matrimonium locavit Henrico, alterius Henrici filio, Roberti, primi Burgundiae Ducis, nepoti, et Roberti Galliarum Regis pronepoti, eidemque in dotem dedit civitates Portucale, Lamecum, Viseum, ceteras, quae Legionensibus Regibus in Lusitania parebant, et potestatem praeterea fecit sibi ea omnia vindicandi, quae a Mauris detinebantur ad Algarbium cis et ultra.

Consentiunt Hispani omnes, Lusitanique Scriptores, Garibay lib. 34. cap. 4., Oduardus Nonius Leo *Chron. Alphonsi I.*, cet. De origine vero Comitis Henrici, ut antiquiores, et exteros omittam, nostris temporibus illius genealogiam scripserunt Oduardus Riberius Macedus, D. Antonius Caietanus Sousa tom. 1. *Histor. Genealog. Dom. Reg. Portugall.*, D. Josephus Barbosa *Catalog. Reginar.*, et Antonius Sousa Macedus, cet.

Digitized by Google

*Supremus is initio non erat.*

§. XXXV. Neque tamen Henricus, statim ac Therasiae nupsit, Portugalliam in Comitatum liberum adcepit. Constat enim ad nativitatem usque Principis Alphonsi eum modo Conimbricae, modo aliis per Lusitaniam sive civitatibus, sive provinciis Regis Legionensis nomine Comitem, seu Gubernatorem inter alios fuisse.

Alphonsus Henricum generum Comitem Portugalliae nominavit, non tamen statim eum a subjectione immunem reddidit, neque ei, ejusve successoribus Comitatum perpetuo concessit; quinimo Lusitania, ut antea, Alphonso parebat, et illius erat Comites creare, eosve, cum vellet, ab officio removere. Horum numero, et Alphonsi sexti nomine Conimbricae praefectus fuit anno 1074. Comes Sisnandus, 1075. ipsemet Henricus, 1092, Martinus Monisius, 1094. Comes Raymundus, alter Alphonsi gener. Brit. *Monarch. Lusit.* 2. p. lib. 7. cap. 30., Faria *Europ. Portug.* tom 1. pag. 4. cap. 22. n. 7.

*Sed a nativitate demum Alphonsi.*

§. XXXVI. Gaudio vero tanto gavisus est Alphonsus VI., dictus Imperator, nativitate Alphonsi nepotis, ut ejus parenti Henrico, illiusque successoribus Portugalliae Comitatum non in unum alterumve annum, ut antea, sed liberum jam, et ab omni subjectione immunem in perpetuum concederet. Ab hoc igitur tempore Portugalliae Comitatus (licet Hispani in alia omnia eant) supremus exstitit.

Multa sunt, ut id evincamus, argumenta. I. In Conimbrica, Portucale, Viseo, et reliquis civitatibus, vel provinciis non alium his temporibus praeter Henricum Comitem supremum belli, pacisve arbitrum invenire licet. II. In publicis id aetatis instrumentis legimus, Henricum Conimbricae, et in universa Portugallia regnare. III. Quia Hispani nullum authenticum instrumentum produnt, quo illius



Digitized by Google

subjectio adstruatur. IV. Quia Henricus non nullas leges tulit, quibus populus sibi subjectus in bello et otio uteretur. V. Quia, Alphonso socero mortuo, Legionense Regnum ex capite uxoris Therasiae, illius filiae natu majoris, occupare adgressus est; quo facto aperte demonstravit, se Legionis Regibus inferiorem non esse, sed aequalem. VI. Quia Regina Therasia, quae decem annis et ultra ab Henrici morte Portugalliam gubernavit, semper ab Hispaniae jugo se pro eo ac debuit immunem credidit, nec, ea regnante, monumentum aliquod adparet, quo conata sujectio comprobetur: quinimo contra ea constat illius sororem Urracam, Castellae Reginam, ab eadem auxilia militaria postulasse, et Hispaniae non nullas terras eo pacto promisisse, si ipsa sibi bellum non inferret, neque illius unquam adversarios bello juvaret: foedus autem hujusmodi nunquam iniisset Urraca, si Portugallia esset Hispaniae provincia. VII. In Comitiis apud Legionem sub Alphonso VII. multo ante Orichiense proelium habitis anno 1134. Regna Castellae tributaria numerantur, Aragonia videlicet, Navarra, Catalonia; et cum nulla Portugalliae mentio fiat, consequitur jam tum sub illius ditione non esse. Denique Alphonsus noster Henricus, quam diu Lusitania vel Principis, vel Regis nomine tenuit, praefatam servitutem agnovit nunquam. Sed haec jam satis superque pro instituto nostro. Vide Brand. *Mon. Lus.* 3. p. lib. 8. cap. 9. et 10., Castr. *Mapp. Portug.* tom 1. pag. 285., Faria *Epitom.* 3. p. cap. 1., et p. 5. cap. 5., Oduard. Non. Leo *Chron. Henric. Comit.*, Joseph. Cugn. Brochad. Session. 13. Maii ann. 1723. *Memor. Academ. Reg.*, D. Joseph. Barbos. *Catal. Reginar. Portug.* pag. 38.

*Qui sub nomine Principis primum gubernavit.*

§. XXXVII. Defuncto Henrico Comite, cum nondum Alphonsus aetate maturus esset, Therasia Portugalliae regimen tenuit per decem annos et ultra. Ea adhuc vivente, illud Alphonsus suscepit, et Portugalliam non Comitis titulo, ut Henricus pater, sed Principis primum, vel Infantis, postea vero Regis honorificentissimo nomine gubernavit.

Digitized by Google

Henricus diem suum obivit anno 1112. Eo mortuo Therasia Regina Lusitaniae praefuit per decem supra sex annos. Alphonsus anno 1128. regimen suscepit Principis, vel Infantis nomine: Regis postea titulo insignitus fuit anno 1139., in quem incidit memorabile Orichiense proelium, de quo elegantissima exstat inscriptio apud Resendium nostrum lib. IV. *de Antiq. Lusit.*, ab eodem elaborata, qua ex altera parte lusitane, ex altera latine arcus adornandus erat, quem Sebastianus Rex eodem victoriae loco statuere meditatus fuisse videtur: quod si unquam effectum est, uti aperte testatur idem Resendius, illius certe nullum hodie vestigium exstat, uti dudum observarunt rerum nostrarum investigatores. Latina, quam hic transcribere juvat, sic se habet:

*Heic contra Ismarium, quatuorque alios Saracenorum Reges, innumeramque barbarorum multitudinem pugnaturus felix Alphonsus Henricus, ab exercitu primus Lusitaniae Rex adpellatus est, et a Christo; qui ei crucifixus adparuit, ad fortiter agendum commonitus, copiis exiguis tantam hostium stragem edidit, ut Cobris ac Tergis fluviorum confluentes cruore inundarint. Ingentis ac stupendae rei, ne in loco, ubi gesta est, per infrequentiam obsolesceret, Sebastianus I., Lusitaniae Rex, bellicae virtutis admirator, et majorum suorum gloriae propagator, erecto titulo memoriam renovavit.*

## *Rex postea in Comitiis, et quo jure salutatus.*

§. XXXVIII. In primis Regni Comitiis apud Lamecum civitatem habitis fuit postea Alphonsus semel et iterum solemniori totius Lusitaniae conventu Rex salutatus. Innocentius postea II., et Alexander III., literis humanissimis ad eum datis, Regis titulum, quo jam a memorabili proelio utebatur, confirmarunt. Neque tamen propterea Alphonsus majestatis jura vel ab exercitu in Orichiensi campo, vel a Populo in Comitiis, vel a Pontifice demum adcepisse videtur.

Jam a nativitate Alphonsi Henricus Portugalliae Supremus Comes exstitit, et, si non verbo, reapse tamen Rex et Dominus, non electione aliqua, et consensu Populi,

Digitized by Google

sed dotis, et amplissimae donationis titulo. In hoc jus Alphonsus filius successit: itaque majestatem, quam jam habebat, neque ab exercitu in Orichiensi campo, neque a Populo in Comitiis, neque a Pontifice tandem poterat accipere. Comitia autem illa celeberrima Alphonsus ea de causa indixit, ut modum in Regni successione in posterum habendum Regnum ipsum universum definiret, et legem quamdam Status fundamentalem tempus in omne stabiliret. Et quis ignorat in Regno occupato nullas subjectorum partes esse? Itaque Lusitanus Populus, qui id temporis liber non erat, nec sui juris, non poterat majestatem, quam non habebat, Alphonso conferre. Regis ergo dumtaxat titulum, non Regiam et Supremam potestatem Alphonsus denuo adquisivit. Postea vero anno 1142. Rex ipse piissimus annuam quatuor unciarum auri pensionem, et perpetuam obedientiam Sedi Apostolicae spopondit, in illis scilicet, quae Religionis tantum sunt, minime vero in rebus ad Rempublicam spectantibus. Innocentius II. eodem anno, et Alexander III. anno 1179. eidem loca a Saracenis occupata concesserunt, et literis amoris plenissimis Regis titulum confirmarunt, quae habentur apud Brit. *Chron. Cisterciens.* lib. 3. capp. 4, et 5., Brand. *Monarch. Lusit.* 3. p. lib. 10. cap. 10., Far. *Epitom.* 3. p. cap. 5. Jam vero quid de hujusmodi confirmationis, seu donationis literis sentiendum, hodie omnes facile intelligunt. Et quis serio adduci poterit, ut credat Summum Pontificem supremum Regnorum arbitrum esse et dispensatorem, locave a Saracenis, vel aliis Christiani nominis hostibus occupata Sedis Apostolicae lucro cedere? Et tamen hoc ipsum, quod mireris, statuit Alexander III. Bulla, quae incipit: *Manifestis.* Quare Alphonsus et Regiam majestatem prae se tulit, et loca a Mauris capta dominio suo adjecit optimo sanguinis, legitimae successionis, et belli, seu occupationis jure, non Populi suffragiis, Pontificisve liberalitate.

## *Municipales Henrici et Alphonsi I. leges.*

§ XXXIX. Ut vero de Lusitanorum legibus hoc tempore loquamur, certum est eas vel municipales, censuales, seu *forales* esse, vel generales. Censuales Henricus dedit Vimarano, Conimbricae, Saurio *(Soure)*: Alphonsus Conimbricae itidem, Mirandae, Scalabi *(Santarem)*,

Digitized by Google

Abranto *(Abrantes)*, Penellae, Marialvae, Pinelio *(Pinhel)*, Ceae *(Cêa)*, cet. Hujusmodi autem forales leges non modo census, pensiones et vectigalia, verum etiam honores et privilegia civium, delictorum poenas, et judiciorum cum civilium, tum criminalium ordinem ac rationem definiebant.

Quantum ex Foralium legibus Jus Lusitanum illustrari possit, nemo est, qui non videat: continent enim, praeter census praestationes, illorum temporum mores, et simplicem vivendi, litesque judicandi rationem, quod ut demonstrem, aliqua ex Vimarani, Saurii, et Conimbricae Censuali libro transcribere juvat: *Si aliquis militum venerit in senectute, ut non possit militare, quandiu vixerit, sit in honore militum. Si miles obierit, uxor, quae remanserit, sit honorata, ut in diebus mariti sui, et nullus eam, vel filiam alicui accipiat in conjugem sine voluntate sua. Si aliquis fecerit aliquid illicitum, veniat in Consilium, et judicium recte: et, si noluerit gratis recipere judicium, recipiat invitus. Judex, et Alcaido sint vobis ex naturalibus Colimbriae. Qui percusserit cum pugno clauso, reddat XII. D.: de manu extenta V. solidos: pro effusione sanguinis VII. solidos M. Vestro ganado, qui fuerit ad pascendum foras, nemo in illud mittat manum suam pro mala voluntate sine judicio.* In publicis Regni scriniis hujusmodi forales leges integrae exstant: non nullae quoque habentur in Ecclesiarum quarumdam praecipue insigniorum tabulariis, Vimaranensis scilicet, Conimbricensis, Olisiponensis, et Bracarensis. In Monasterio Sanctae Crucis pervetustus liber adservatur inscriptus: *Dos Foraes das terras de Portugal.* Illarum fragmenta hinc inde invenire licet apud Lusitanarum rerum Scriptores, Anton. Carv. Cost. *Chorophaph. Port.* tom. 1. Tract. I. cap. 4., D. Thom. ab Incarnat. *Hist. Eccles. Lusit.* Saecul. XI. cap. 5., et passim apud *Monarchiae Lusitanae* Auctores. Eas vero non solum Henricus et Alphonsus, sed etiam Viri Principes et Optimates his temporibus dabant, veluti Petrus Alphonsus, Alphonsi I. frater, oppidis *Figueiró* et *Pedrogam* anno 1174. et 1176., Therasia, Alphonsi filia, *Ourem* anno 1180., Joannes Viegas *Cernancelhe* anno 1124., Fernandus Mendesius *Monforte* anno 1130.

Digitized by Google

## *Prima Regni Comitia.*

§. XL. Legum generalium nomine jure meritoque primo loco numerari debent Comitia illa celeberrima, quorum jam mentionem fecimus, apud Lamecum civitatem habita. Multa in eis, eaque praeclara constituta sunt de Regni successione, de nobilitate, judiciis, et delictis.

Primordiales has leges ex publicis authenticisque instrumentis transcripsit Brand. *Mon. Lusit.* 3. p. lib. 10. cap. 13., Sous. tom. 1. *Prob.* n. 5. Eaedem gallice habentur versae apud Le Quien de la Neufville *Histoir. de Portug.* tom 1. Innocentius IV. in Bulla, quae incipit *Grandi* (quae ex parte exstat in cap. 2. *de suppl. neglig. Praelator.* in 6., et integra apud eumdem Brand. in *Adpend.* ad lib. 14. cap. 25. Scriptur. XXIII., et apud Brand. alter. 5. p. in *Adpend.* ad lib. 16. cap. 11. Scriptur. II., et apud Barbosam *Catalog. Reginar. Lusit.* pag. 193., et Sous. tom. 1. *Probat.* n. 13.), earum quoque meminit in verbis: *Qui* (Alphonsus) *eidem Regi* (Sancio), *si absque legitimo decederet filio, jure Regni* (in Comitiis scilicet apud Lamecum; non enim aliud jus Regni praeter illud adparet) *succederet.* Saeculo XVII. in Comitiis sub Petro II., sexto April. ann. 1698. Olisipone habitis, caput illud fundamentalis hujusce Legis obrogatum, quod prohibebat filios fratris defuncti Regis, eo sine liberis decedente, ad successionem absque Populi consensu venire, ut patet ex lege postea lata 12. April. ejusd. anni (Inst. de Jur. Rer. Tit. IX. §. CXI.); cetera firmata sunt. Vid. Fr. Emman. a Sanct. *Monarch. Lusit.* 8. p. lib. 23. cap. 29., Joseph. Barbos. Sess. 13. Maii ann. 1721. *Coll. Academ. Regal. Histor. Portug.*, Maced. *Lusit. Liberat.*, et in Opere praesertim inscripto: *Joan Caramuel de Lobkowitz convencido en su libro intitulado*, Philippus Prudens, cet. Jam vero ex harum legum tenore constat, eas non unius generis esse: primo namque condita fuit de Regni successione *Lex Status*, ut adpellant, seu fundamentalis, cui Princeps ipse subjectus est, et hac potissimum de causa Populus universus in unum convenit; deinde reliquae de nobilitate, judiciis, et delictis leges, quae Populum auctorem non habent, sed Alphonsum, qui tamen de ipsius consilio easdem tulit, perpetuus idcirco illarum moderator et arbiter.

Digitized by Google

## *Qui hoc tempore judiciorum ordo.*

§. XLI. Negotia forensia et civilia secundum generales has leges, et municipales cujusvis loci, in Synodo quadam urbis, coram illius Comite, seu Rectore, boni probique viri veluti in Comitiis dirimebant. Multum quoque auctoritatis habebant Alphonsi V., Legionensis Reges, leges, itemque Codex Wisigothorum. Princeps tamen, qui Supremus Magistratus, viva et spirans lex est, earum defectus saepius supplebat, et subditorum lites ipse judicabat.

Initio in tanta legum paucitate, cum nondum Regiae Curiae et Magistratus ne in locis quidem Regni insignioribus essent constituti, Principes subditorum contentiones saepius judicabant. Itaque Henricus aer 1135. ann. 1097., Compostellam divum Jacobum invisendi causa profectus, ipso in itinere dissidium non leve inter Cornelianae *Villae* accolas, et Regios Sayones composuit. Anno 1121. Regina Therasia, et Comes Ferdinandus contentiones Gundisalvum inter, Conimbricensem Episcopum, et Danielem, Lorbani Abbatem, judicarunt. Ordinarius vere judiciorum ordo is erat, quod causa ad Consilium quoddam urbis coram Rectore, Comite, Ricohomine, seu Tiuphado, ceterisque Magnatibus, et spectatae virtutis hominibus deduceretur, qui eam ex bono et aequo secundum generales, et censuales praesertim loci leges, et receptos mores decidebant: earum tamen in defectu, quod subsidiario Gothorum jure, et Alphonsi V., Legionis Regis, legibus uterentur, vel ex sola loci vicinitate conjicere licet. Quod vero haec olim esset judiciorum consuetudo, constat ex antiquissimis id temporis instrumentis. Sic de familia erciscunda lis orta inter Flamulam Ketam, seu Chamoam Ketam, et ejus sororem Adosindam Ketam in Consilio Pombeirensi aer. 1109. anno 1071. decisa fuit: *Devenimus inde ad Consilium, hic in acisterio de Palumbaris, ubi fuit Egas Gomissi, et alii multorum nobilium hominum, et providerunt bene in ipso Consilio, ut roborassemus unas ab aliis, ut nunquam nobis inquietaremus.* Anno 1120. aer. 1158. contentionem super quarumdam rerum permutatione exortam inter Froilam Belindez, et Todam Viegam Egas Monisius,

Digitized by Google

Sesnandus, et alii Cresconii Villae incolae terminarunt: *Et devenimus inde Cresconi ante Domino Egas Moniz, et ibi Sesnando Odoris, et alii filii benenatorum, et exquisierunt, ut ego Froila non habebat ibi in illas hereditates nulla causa, nisi herentia in Sancto Petro de Arauca. Et viderunt homines bonos, et domino Egas, ut ipsa cambiatione firmiter exstitisset pro hac sententia, et ideo placuit mihi.* Plura alia exempla dabit Brandanus 3. p. lib. 8. cap. 15., et lib. 9. cap. 12.

*Mauri propriis legibus utebantur.*

§. XLII. Mauri vero in Lusitania degentes suis legibus utebantur: illarum quippe usum eis concessit Alphonsus, humanissimus Princeps, et potestatem fecit ex gente sua judices eligendi.

Insigne hoc beneficium aer. 1208. ann. 1170. Alphonsus Mauris Olisiponem, Almadam, et Salaciam habitantibus dedit; et Regiis Administris, et civibus generaliter omnibus injunxit, ne quidquam in eos injuria molirentur. Ita ex Scriptura quadam publica constat apud Brand. 3. p. lib. 11. cap. 32., et inde ortum habuit Ordinatio Alphonsina lib. 2. tit. 99.: *Da jurdiçom, que os Mouros antre sy ham, assy no Civel, como no Crime*, et tit. 101.: *Que os Alquaides dos Mouros guardem em seus Julgados antre sy os seus direitos, usos, e costumes.*

## CAPUT VI.

### DE JURE LUSITANO AB ALPHONSO AD JOANNEM I.

---

*Sub Sancio eadem Jurisprudentiae facies.*

§. XLIII. SAncius I., venerabilis Alphonsi filius et successor, generales nullas leges tulit, forales autem dedit locis non nullis. Itaque, eo imperante, eadem Lusitanae Jurisprudentiae

Digitized by Google

facies erat, idem judiciorum ordo, et litium in Consilio urbis, coram Comite, et bonis honestisque viris dirimendarum consuetudo.

Municipales leges Sancius dedit oppidis Covillanio (*Covilhã*), et Gouveae anno 1186., Viseo et Brigantiae 1187. Bello multa praeclara in Algarbiis gessit: quare Algarbiorum Regis titulum primus suscepit, ut constat ex donationis quadam chartula ad Monasterium *de Grijó* data aer. 1228. ann. 1190., apud Ant. Caiet. Sous. tom. 1. *Probation.* pag. 15. n. 8., et apud *Monarch. Lusit.* 4. p. lib. 12. cap. 9. Obiit anno 1211. Sancii vero testamentum (quod obiter adnotare liceat) tot legatis, et piis largitionibus constabat, ut parum abfuerit, quin universam fere Regni substantiam, et pusillum tunc temporis patrimonium absorberet. Illius executionem Sancius commisit non Alphonso filio, et successori, sed Pontifici, quem adpellare non dubitavit dominum corporis et animae suae: *Mando etiam de* 195. *marchis unicam marcham de auro, quod teneo in turribus Colimbriae, ut dent inde Domino Papae* 100 *marchas, et rogo ipsum, tanquam patrem, et dominum corporis et animae meae, ut ipse sanctissima auctoritate sua faciat omnia ista adimplere, et non permittat aliquid de his omnibus per aliquem impediri.* Quae vero, et quanta mala testamenti hujus occasione postea orirentur, nemo ignorat. Ortum fuit dissidium non leve inter Alphonsum II. et illius sorores Therasiam et Sanciam Reginas; sequutum horribile illud bellum inter duos Alphonsos, Portugalliae et Legionis Reges; natae inde querelae et lamentationes ad Innocentium III.; et Rex tandem noster Alphonsus (quod mireris), qui in temporali re nullum praeter Deum superiorem agnoverat, in causa mere civili de subjectione et obedientia fratrum, sororumve, de hereditate, et familiae erciscundae judicio respondere coactus fuit, et tamquam reus comparere non tantum coram ipso Innocentio III. et Episcopis Compostellae, et Zamorae, sed etiam coram quibusdam Abbatibus Ordinis Cisterciensis. Tanta nimirum erat illorum temporum ignorantia! Hujus tam incivilis controversiae historiam, testamentum Sancii, Innocentii III. literas, quibus illud confirmavit, et legatos in causa super eo agitata constituit, ex Regni, Alcobatiae, et Lorbanii Monasteriorum scriniis habes apud Brandanum *Monarch. Lusitan.* 4. p. lib. 12. cap. 35., lib. 13. cap. 4., et lib. 14. cap. 3., et apud Sous. *Histor. Genea-*

Digitized by Google

*log.* tom. 1. *Probation.* n. 10., et Far. *Europ. Portug.* P. 1. tom. 2. cap. 6.

## *Alphonsi II. leges.*

§. XLIV. Alphonsus, hujus nominis secundus, successione vero tertius Lusitaniae Rex, Princeps melioribus certe temporibus dignus, statim initio Imperii sui generales leges dedit Comitiis apud Conimbricam habitis anno 1211. Iis vero constituit 1) judices locis quamplurimis, praesertim insignioribus, qui ex praescripto legum jura dicerent: 2) contrahentes omnes in venditionibus, ceterisque contractibus aequavit: 3) decrevit, ut a Rege ad mortem damnatus non nisi post viginti dies supplicio adficeretur, Ord. Alph. lib. 5. tit. 70., Emman. 60., Philipp. 137., l. 13. Cod. Theod. *de poen.* can. 69. Caus. XI. quaest. III.: 4) ut is, qui causa caderet, certam pecuniae summam in poenam injustae litis reo persolverat: 5) ut jura Ecclesiae Romanae sarta tectaque essent, et ut Ecclesiis, Monasteriis, et piis locis debitus honor exhiberetur: 6) ut Ecclesiastici, et eorum bona ab ordinariis Reipublicae oneribus essent immunes: 7) ut ad Ecclesias regundas Clerici ejusdem loci eligerentur, et ceteris paribus, alterius vel dioeceseos, vel loci Clericis praeferrentur: 8) ut naves, quae vi tempestatis ejectae ad Lusitaniae oras adpulissent, nec fisco, nec Regis Administris addicerentur, sed eorum, quorum antea in dominio fuerant, jure gentium remanerent, Ord. lib. 2. tit. 32., Emman. 22., Alph. 32. (Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. IX. §. IX.): 9) ut damnatorum bona non nisi certis in casibus, quos definivit, ad fiscum, vel ad facti exsecutores adtinerent: 10) ut injuria, damnumve non vi, et propria auctoritate, sed publica vindicaretur: 11) et tandem ut non posset Ju-

Digitized by Google

daeus, aut Maurus filium exheredare propterea quod Religionem Christianam amplecteretur; et ut is patre adhuc vivente, in legitimam, quae ipsi, eo mortuo, contigisset, statim succederet, Ord. Alph. lib. 2. tit. 79., Emman. 42.

Plura sunt, quae Alphonsus hujusmodi Comitiis constituit, quae hodie etiam in Regni scriniis exstant; non nulla habet Brand. *Mon. Lus.* 4. p. lib. 13. cap. 21. Quare Alphonsus II. primus omnium Lusitaniae Regum generales leges tulit, cum antea municipalibus quaeque civitas regeretur. Cave tamen existimes Populum in Comitiis Conimbricensibus hujusmodi tulisse leges; earum namque ferendarum potestas dumtaxat penes Alphonsum erat, qui nimirum Cives unum in locum veluti ad curiam congregavit, ut de omnium consilio, quid omnibus expediret, provideret, prout ex ipsorum Comitiorum actis constat hisce verbis: *No anno primeiro, que reinou o muy nobre Rey de Portugal D. Affonso o segundo, filho do muyto altò Rei D. Sancho, e da Raynha Dona Doce, e neto do gram Rey D. Affonso davandito, en Cojnbra fez Cortes, en as quaaes com Conselho de D. Pedro eleito de Braga, e de todos os bispos do Reyno, e dos homens de Religiom, e dos Ricoshomens, e dos seus Vassallos estabeleceo Juizes.* Praeter has leges generales in Comitiis latas, municipales etiam dedit oppido *de Contrasta*, hodie *Valença do Minho*, et plura alia praeterea constituit ad interiorem totius Regni, et ipsius Regiae Domus politiam adtinentia, cujus Officialibus providentissimas quoque et oeconomicas leges praescripsit anno 1222., quarum non nulla refert Brandanus eod. lib. 13. cap. 16.

### Ejusdem *amortizationis* lex.

§. XLV. Quia vero Alphonsus providentissima ibidem lege sancivit, ne Ecclesiastici, et Monasteria fundos, possessiones, et bona deinceps stabilia adquirerent (§. LV.); et quia praeterea eorum corruptissimos mores emendare, et bona ad urgentissimas reipublicae necessitates in subsidium adplicare tentaverat, magnae

Digitized by Google

inde contentiones ortae sunt Regem inter ipsum et Ecclesiasticos, quos inter omnes caput extulit Archiepiscopus Bracarensis, quae tandem in Romam delatae maximis turbinibus occasionem dederunt.

Quam tenebricosum esset saeculum XIII., sciunt profecto omnes. Ignorantia ubique locorum regnabat, vitium pro virtute obtrudebatur, nec erat, qui justos Imperii et Sacerdotii limites cognosceret: avaritia vero, omnium malorum radix, per totum orbem impune grassabatur; et si quis eidem bellum indixisset, ad Ecclesiam ipsa, hoc est, ad ejus Ministros, tamquam ad sacrum asylum, confugiens, adversus omnem potestatem in tuto posita esse videbatur. His malis in Lusitania mederi incassum Alphonsus curavit. Nam primum Suerius quidam Gomesius, Ordinis Praedicatorum Prior, surrexit, qui non modo Alphonsi leges aperte impugnavit; sed, quod omnem impudentiam superat, se in legum latorem erigens, alias ab ipso confictas vulgavit, prout constat ex Regia Alphonsi II. Epistola ad Senatum Scalabitanum data, apud Brand. 4. p. *Monarch. Lusit.* lib. 13. cap. 22. Postea Stephanus Soarius, Archiepiscopus Bracarensis, qui Lateranensi Concilio sub Innocentio III. interfuerat, Ecclesiasticam libertatem tutaturus, quam ipse immerito violatam esse credebat, Regios Administros excommunicationis fulmine percussit, et Romam deinde secedens, inter alia, quae recensere nostrum non est, auctor fuit, ut Honorius III. ann. 1221. literas stomachi plenas ad Alphonsum daret, in quarum calce post longam totius controversiae narrationem tandem subjungit, se a jurejurando fidelitatis esse illius subjectos absoluturum, et ejusdem terras Regnumque, tamquam res nullius, aliis, si ad meliorem ipse frugem non rediisset, concessurum; et denique tam multa alia comminiscitur, a pastoralis officii, et ab Ecclesiae potestate aliena, quae hodie in tanta saeculi luce referre piget. Hujus autem, *amortizationis* quae dicitur, saluberrimae legis verba refert praedictus Brandanus *Monarch. Lusit.* lib. 13. cap. 21., et Brand. alter 5. p. lib. 17. cap. 8.

*Sancius generales leges non tulit.*

§. XLVI. Sancius II. generales leges non tulit: forales tamen dedit locis quibusdam. Ea-

dem sub eo erat jurisprudentiae facies, et regiminis forma. Regni saepius urbes, et provincias peragrabat, civium querelas adversus Comites, vel Ricoshomines auditurus, quorum lites ac contentiones non semel dirimebat. Neque ei profecto bellica virtus deerat; nam exercitum saepius duxit, plurimas civitates, et munitissima oppida a Saracenorum servitute liberavit, et totum fere Algarbium sub sua ditione ac potestate habuit.

Hae, et plures aliae virtutes Sancii fuerunt. Sed, quae est Principis infelicitas! eas, tametsi non omnes, Scriptores nostri dissimulant, Sanciumque stupidum, inermem, et imperio ineptum fuisse tradunt. Oduard. Non. Leo illius *Chron.* Auctores Hispani, Lucas Tudensis, Sancio coaevus, Rodericus, Toletanus Archiepiscopus, et alii deinceps Sancio minus infensi esse videntur, neque dissimulare audent eum a Mauris saepe devictis Jurmeniam, Serpam, Ayamontem, Taviram, Elvim, cetera ad Algarbium occupasse, quibuscum consentit Brandanus 4. p. lib. 14 cap. 6. Insignem illius pietatem commendat, ut par est, Aloysius Sousa *Histor. Divi Domin.* lib. 3. cap. 12. et 13.; tria namque illa sui Ordinis Monasteria celebriora Sancius aedificavit, Scalabitanum scilicet, Olisiponense, et Portuense. Nulla tamen ipse Comitia indixit, neque generales ullas leges tulit, quae in illis dumtaxat hisce temporibus ferebantur: municipales autem dedit oppidis Murciae ann. 1224., S. Crucis ann. 1225., et aliis non nullis, quae habentur pervetusto Foralium Legum Codice in Regni scrinio.

*Innocentius eum injuria Regno privavit.*

§. XLVII. Quamvis vero Sancius, statim ac Regni clavum tenuit, anno scilicet 1223., cum Stephano, Bracarensi Archiepiscopo, et Therasia et Sancia Reginis, lites, jam sub Alphonso II. parente ortas, amice transegerit (*a*); quia tamen eaedem controversiae Regem inter et Ecclesiasticos ab anno 1228. suscitari postea coeperunt, Silvester primum Bracarensis, Ste-

Digitized by Google

phani successor Regis Administros sub praetextu infractae ab illis immunitatis Ecclesiasticae sacris interdixit; deinde ad illius petitionem Gregorius IX. Sancio in eamdem sententiam rescripsit anno 1238. Et tandem eo res adducta fuit, ut Innocentius IV. Sancium Regno, et illius administratione privaret (*b*), et ejus loco Alphonsum, Bononiae Comitem, sufficeret famosissima illa Decretali, Lugduni data anno 1245., quae refertur in capite *Grandi* 2. *de suppl. negligent. Praelat.* in 6.

(*a*) Concordiam, seu, ut adpellant, *Concordatam* (quo nomine solum denominari debent pactiones inter summos Imperantes initae), quam habuerunt inter se Sancius II., et Stephanus, Archiepiscopus Bracarensis, anno 1223., et Silvester anno 1228., itemque Gregorii IX. literas ad eum datas, ex Regni scriniis exhibet Gabriel Pereira de Castro, et ex Bracarensis Sedis tabulario Brandanus *Mon. Lus.* 4. p. lib. 14. capp. 2. et 17. in *Adpend.* Continet hujusmodi Concordata undecim articulos, quos referre otium non est, cum apud Pereiram p. 1. *de Man. Reg.* pag. 313. 316. edit. Lugd. exstent. De iis vero cum nunc primum loquamur, illud nequaquam initio dissimulandum, has, et similes Concordias in lucem edendi ad Sebastianum usque Regem occasionem Pereirae dedisse Franciscum Soarium Granatensem, qui lib. 4. *Advers. Angl. Sect. error.* cap. 34. per summam audaciam, et supinam Juris Publici universalis ignorantiam, adserere non dubitavit Supremos Imperantes et Reges, signanter Lusitanos, nullo jure et consuetudine, ut ut immemoriali, posse Ecclesiasticorum violentias per viam, ut adpellant, recursus compescere, neque de Clericorum quibuslibet causis, sive civilibus, sive criminalibus, cognoscere, de eorumve bonis quovis unquam praetextu disponere. Gabriel Pereira, Regiae auctoritatis studio, et Lusitanarum legum amore incensus, Concordias fere omnes, quas inter se Reges nostri, et Summi Pontifices habuerunt, evulgavit, et duos non contemnendos prorsus *de Manu Regia* libros scripsit, quibus praemisit Epistolam ad eumdem Soarium. Et quamvis sua laude, eaque eximia, fraudari non debeat Pereira vel ea de causa, quod tantum talemque adversarium parvi faceret; tamen negari haud potest, eum principia Juris Publici non probe tenuisse, et nihil minus, quam ecclesiasticae et civilis potestatis limites agnovisse, quod vel ex bre-

vibus.

vibus Notis, quas ad ipsas Concordias adposuit, vel ex Epistola ad Soarium, quae habetur apud ejus *Monomach.* pag. 5. et seq., vel ex Praeludio 2. lib. 1. *de Man. Reg.* luculentissime adparet. Omisit enim genuinos fontes Scripturarum, Patrum et Conciliorum, ac Soarium confutavit vel ex praejudiciis Scholasticorum, vel ex ipsis Summorum Pontificum Epistolis Decretalibus, vel ex privilegio tandem, et Regni Concordiis, nunquam vero ex natura et indole Imperii, tamquam si Suprema Regum Potestas non jure divino et naturali, non Oecumenicis Conciliis, non aliis denique validioribus fundamentis inniteretur. Sed nihil profecto viro bene merendi studiosissimo in tanta temporis obscuritate imputari debet; neque enim alios tunc temporis libros legendi potestas erat, quam quos Soarius, ceterique Romanae Curiae adsentatores probassent.

(*b*) Ex Innocentii IV. Bulla (de qua §. XL. Not.) ad Barones, Milites, et universum Populum Lusitanum Lugduni data, constat veram, et fortasse unicam causam ad tam immane facinus perpetrandum (neque enim dissimulare fas est) fuisse in primis nimiam Ecclesiasticorum potentiam, et quorumdam nobilium hominum insolentiam, seu, ut verius dicam, superstitionem, qui iniquum esse putabant, quod Rex ex Monasteriis, et Ecclesiis *collectas*, et subsidia ad urgentissimas belli necessitates exigeret; quod Ecclesiasticorum lites non nunquam judicaret, eorum violentias reprimeret, corruptissimos mores emendaret, et quod denique in omni causa publicam semper utilitatem, quae suprema lex est, privatae anteponeret. Adcedit, quod cum tristissimo hoc tempore de suprema Regum Potestate subjecti nondum satis, pro eo ac deberent, convincerentur, mirum videri non debet, quod Joannes Bracarensis, Petrus Portuensis, Tiburtius Conimbricensis Episcopi, itemque Rodericus Gomesius Britteirus, Regis Legatus, Sancii defectus et vitia (et quis ab iis immunis vivit?), quae enimvero tanta non erant, quanta vulgo esse putantur, quaeque potius bono animo tolerare, quam improbe adcusare debebant, ad Innocentium IV. detulerint, qui tunc Lugduni ob Friderici perturbationes morabatur. Eadem vero tempestate, cum opinio de Potestate Papali in bona temporalia, et ipsas sacratissimas Regum Personas vigeret, facile ab Innocentio seditiosi homines impetrare potuerunt, ut Sancium Regno, et Regni administratione privaret, eaque, tamquam adscititia veste;



Digitized by Google

Alphonsum contegeret. Itaque Innocentius Sancium nostrum deposuit et exauctoravit, sed facto, non jure; atque ita nobiscum sentiunt piissimi pariter ac sapientissimi omnium gentium Theologi, et Juris Canonici, Civilis ac Publici periti, quorum ego neminem in tanta multitudine nominabo, qui vexatissimam hanc quaestionem ex Jure Naturali et Gentium, ex utriusque Supremae Potestatis natura et indole, et ex venerandae totius Ecclesiasticae antiquitatis monumentis adprime illustrarunt.

## *Alphonsus III. et ejus Legum Codex.*

§. XLVIII. Alphonsus III., in Sancii fratris locum suffectus, eo tandem Toleti mortuo anno 1248., Portugalliae Regis et nomen, et potestatem tunc demum jure obtinuit. Generales leges tulit die 20. Januar. ann. 1251. aer. 1289., quibus inter alia statuit, 1) ut qui domum alicujus, nobilis praesertim, nocendi causa intraverit, certam, praeter noxam, pecuniae summam, hoc est, 300. morabitinos (*maravedis* adpellabant) Regi persolveret: 2) ut qui vestimentum surripuerit, intra novem dies duplum lueret: 3) ut qui non clam, sed in tumultu (*assuada* a nostris dicitur) bovem, suem, anserem, gallinam, agnum rapuerit, praeter rei restitutionem, et damnum, certam mulctam Regi dominoque solvere damnas esset: 4) ut viatori, cui in itinere ad victum commeatumque necessaria defuissent, ad arbitrium boni viri ea emendi, capiendive potestas esset; eo autem arbitrari recusante, ipse earumdem rerum, quibus indigeret, aestimator foret et arbiter: quod a Joanne I. confirmatum in Comitiis Conimbricensibus aer 1436., apud Ord. Alph. lib. 2. tit. 59. §. 25.: 5) denique, ut Rex Ecclesiarum et Monasteriorum, quemadmodum illius Regii antecessores, defensor ac protector perpetuo haberetur.

Digitized by Google

Alphonsus III. Lusitanarum Legum Codicem edidit anno 1251., quarum fragmenta ex publicis instrumentis refert Brand. *Monarch. Lusit.* 4. p. lib 15. cap. 13. et in *Adpend.* Scriptur. XXVII. Regnandi artem, prout illa tempora ferebant, cognitam bene ac perspectam habuit; Gallorum politiam, apud quos diu sedem posuit, ad Lusitaniam traduxit; et literarum tandem sub Dionysio filio instituendarum fundamenta jecit; neque enim Dionysius eas e situ et pulvere postea extulisset, si ipsarum antea dulcedinem non gustasset. Illud vero adnotare liceat, vehementer eos errare, qui cum Mariana *de Reb. Hisp.* lib. 13. cap. 20., et aliis existimant Algarbium sub Legionensium Regum potestate fuisse ad tempora usque Alphonsi X., quem illud primo Alphonso nostro sub annua pensione in dotem dedisse ferunt, eam licet postea, frementibus Hispanis, in gratiam Dionysii nepotis remisisset. Nam jam Henrico Comiti alter Alphonsus, hujus nominis Sextus, Legionis Rex, terras ab eo in Portugallia occupatos concessit, et potestatem fecit suo dominio adjiciendi, quae a Mauris cis et ultra Algarbium recuperasset; neque enim initio Legionis et Portugalliae Regni in terris a Sarracenis detentis ulli definiti erant termini. Quare Alphonsus ipse I., Sancius I., Alphonsus II., Sancius II., plures expeditiones ad Algarbium, et exercitus duxerunt, et loca munitissima ab immani barbarorum jugo liberarunt, quos imitatus Alphonsus noster III. totum fere, qua late patet, Algarbium jam ab anno 1250. in suam potestatem redegerat. Alphonsus X. Castellae, vel ad vicini potentiam imminuendam, vel alio quovis praetextu Alphonso Portugalliae bellum indixit, in quo ob intestinas Regni factiones ab eo tempore ortas, quo Sancius injuria fuit Regno spoliatus, res ex voto non successit, et Rex noster in eas angustias redactus fuit, ut anno 1253. de belli negotio parum honorifice cum Hispano transigere, eique Algarbii fructus omnes, et reditus demittere cogeretur. Non diu tamen foedus hujusmodi permansit, sed anno 1263. remissum fuit, et illus loco census quinquaginta equitum substitutus. Eodem tempore utriusque Regni termini definiti fuerunt. Atque iste quinquaginta equitum census est, quem postea Alphonsus X. in gratiam Dionysii nepotis anno 1267 remisit Vid. Brand. ib. lib. 15. cap. 15. 16. 31. 34., et 5 p. lib. 16. cap. 4. 51., Garib. *Compend. Histor. Hispan.* lib. 8. cap. 40., Far. *Europ. Portug.* tom. 2. p. 2. cap. 1. n. 19., Ignat. Barbos. *Lusit. Fast.* ad ann. 1267 tom. 1. pag. 554., D. Joseph. Barbos. *Catalog. Reginar.* pag. 64., Lim. *Geograph. Histor.* tom. 2. cap. 14.

Digitized by Google

## *Aliae ejusdem leges.*

§. XLIX. Anno 1254. Comitiis apud Colliponem (*Leiria*) generales iterum leges Alphonsus tulit, in quibus inter alia jurisdictionem temporalem, quam ex Reginae Therasiae concessione amplissima Episcopi Portuenses in universa civitate habebant, limitavit. Peculiares etiam et municipales leges dedit oppidis *Odemira* anno 1256., *Monforte* 1257., *Estremoz* 1258., *Monção* 1261., *Valença* 1262., *Tavira*, *Faro*, *Silves*, *Loulé* 1266., *Villa-Viçosa* 1270., cet.

Codex hic Lusitanarum Legum exstat in publico Regni scrinio in Libello Foralium Legum, et Gratiarum Alphonsi III. Eisdem Comitiis Alphonsus privilegia antiquissimo Scalabitano oppido concessa amplificavit; contra vero ea limitavit, quibus Portuenses Episcopi ab Regni primordiis utebantur. Jam multo antea Regina Therasia, Henrici Comitis uxor, Epistola quadam data anno Dom. 1120. apud Roder. a Cugn. *Catal. Episcopor. Port.* 2. p. pag. 13., Hugoni Episcopo, et successoribus jurisdictionem saecularem universam in civitatem, reditus, proventus, et omnia denique jura, quae vulgo *Regalia* adpellantur, concesserat. Alphonsus III., arbitratus non e Republica esse tantam in uno Episcopo potestatem, ut eamdem imminueret, novum oppidum, seu portum in Gaya (*Villam-Novam* adpellant) fundavit, statuitque, ut naves, quae ad eum adpellerent, Regi; quae vero ad antiquum civitatis portum, Episcopo evectionis et invectionis jura persolverent. Haec Alphonsus, et alia bene multa supra dictis Comitiis anno 1254. instituit. Procedente vero tempore, Episcoporum jura sensim imminuta, et tandem adempta fuerunt.

## *Et instituta.*

§. L. Nundinas praeterea Alphonsus certis diebus locisque instituit, utilitatem commercii, praecipuum Reipublicae nervum, non omnino neglexit, et multa praeterea, eaque praeclara

Digitized by Google

domi, forisque gessit. Nihil tamen minus observavit, quam jusjurandum, quod Parisiis dedit anno 1245. Quapropter veteres Ecclesiasticorum contentiones renatae fuerunt, quae quidem, cum non cessassent; amica quadam concordia eos inter et Regem habita, Episcoporum non nulli ausi sunt in Romam ire, auxilium a Pontifice petituri.

Gregorius X. in posterioribus, iisque celebrioribus literis his de rebus scriptis anno 1272. totam controversiae historiam narrat, et ultimo tandem post excommunicationis, interdicti localis, et deambulatorii spirituales poenas, alias subjungit, veluti Regni privationem, fidelitatis jurisjurandi absolutionem, quae a suprema clavium potestate absunt quam longissime, prout ex ipsis videre est apud Brand. *Monarch. Lusit.* 4. p. lib. 15. capp. 40. 41. 42. Jusjurandum, quod Alphonsus Parisiis juravit, parum abest quin de re illicita dicatur, et ex parte exstat apud Roder. de Pina *Chron. Sancii II.* cap, V., et integrum apud eumdem Brand. in *Adpend.* Scriptur. 35. ad lib. 14. cap. 27. Concordiam, quam Alphonsus habuit, exhibet Gabriel Pereira tom. 1. *de Man. Reg.* edit. Lugd. 1673. p. 321. Continet undecim articulos, quorum multi fuerunt postea in Ordinationes redacti.

### *Dionysii leges.*

§. LI. Dionysius Rex ab anno 1279., quo imperare coepit, per quadraginta supra sex circiter annos Lusitanum Imperium et armis decoravit, et legibus quamplurimis instruxit, quae hodie etiam vigent, et habentur in Regiis, quibus utimur, Ordinationibus. Itaque inter alia statuit, ne in contrahendis solvendisque obligationibus jusjurandum adhiberetur, Ord. lib. 4 tit. 73.: ne pro reo capto in causa criminali fidejussor reciperetur, lib. 5. tit. 132.: leges dixit de contractibus et obligationibus eorum, qui in carcere detinentur, quando teneant, vel non, lib. 4. tit. 75.: de eo qui, cum

Digitized by Google

alicujus contractus instrumentum facere promisisset, poenitentia ductus illud postea facere recusavit, lib. 4. tit. 19.: de jure filii naturalis ad hereditatem parentis plebeii, lib. 4. tit. 92.: de eo, qui alium occidit, vel ab alio occidi mandavit, lib. 5. tit. 35.: de filia exheredanda, quae absque patris consensu nupsit, lib. 4. tit. 88. §. 1.: de eo, qui consanguineam, vel famulam illius, quocum vivit, uxorem duxit, vel cum eis rem habuit, lib. 5. tit. 24.: de eo, qui virginem, viduamve duxit, quae sub parentis, avi, vel tutoris potestate est, titt. 22. 23. §. fin.: de Judice, illiusve Adparitoribus, qui mulierem, quae in judicio causam agit, turpiter cognoscunt, tit. 20.: de marito, qui uxorem in adulterio deprehensam occidit, tit. 38.: de eo, eave, qui ad secundas nuptias, nondum e vivis uxore maritove sublato, convolavit, tit. 19.: de iis, qui dolo malo, et injuria in judicio queruntur, tit. 118., signa Regis corrumpunt, tit. 52., falsa testimonia dicunt tit. 54., malefactores occultant, titt. 104. 105.: et de iis denique, qui aves a se inventas non restituunt, neque in loco publico denuntiant, tit. 62. Haec ex Oduardi Nonii Leonii *Chronic. Dionys.*

*Ad Regem, omisso medio, adpellare concessit.*

§. LII. Cum vero anno 1282. ad Egitanensem civitatem Episcopi, et Regni Optimates occasione nuptiarum inter Dionysium et Elisabetham convenirent, ibidem de eorum consilio statuit Dionysius, ut ad Regem, omisso, ut aiunt, medio, adpellandi potestas esset, et ut lites quam celeriter terminarentur.

Hoc tempore vel lege, vel more receptum erat, ut a Judice ad oppidi dominum, et ab eo ad Regem, vel ad Majorem Regis Magistratum, quem *Sobrejuiz* dicebant,

adpellaretur: saepius tamen Optimates, Monasteria, Ordinum Magistri, et alii locorum domini adpellationem ad Regem, vel ad Supremum illius Magistratum denegabant. Dionysius hunc morem, sive legem restituit, et potestatem litigatoribus fecit ad eumdem immediate, ut loquuntur, adpellandi. Quia vero lites vel Advocatorum, vel Judicum, vel utrorumque, praecipue tamen horum culpa protelantur, Dionysius jam tum earum brevitati consuluit, et certas hanc in rem leges, cautiones, et articulos condidit, qui apud antiquum foralium legum librum habentur, et apud Brand. 5. p. lib. 16. cap. 38. (Inst. Jur. Civ. Lusit. Lib. IV. Tit. VII. §. VIII.). Sed nimirum tam inveteratus iste morbus est, ut ei curando tot nondum medicamina suffecerint.

## *Aliae ipsius leges.*

§. LIII. Tabellionum, Amanuensium, et Scribarum salarium, mercedemque aestimavit (*a*). Factiones, et conventus subditorum severissima lege prohibuit (*b*). Latrones undique conquiri jussit. Et, quia non minus justitiae, quam civium amore flagrabat, anno 1284. Senatui Olisiponensi mandavit, ut agrum, quem *Vallada* dicimus, inter pauperes, illius accolas, partiretur, et singulam unicuique portionem, more jam ab Alphonso I. usitato, adsignaret (*c*).

(*a*) Cum Scribae et Tabelliones pecunias a litigatoribus saepius emungere, et plus justo extorquere soleant, Dionysius anno 1285. illorum salaria taxavit, et plus petentibus capitis poenam imposuit, prout constat ex libro foralium civitatis Pacensis apud Brand. 5. p. lib. 16. cap. 51.: *Certos sede, que todos aquelles, que esto passardes, ou mais levardes, que vos matarei porende* Dionysianam tamen hanc poenam posteriores mitigarunt leges, Ord. Alphons. lib. 1. tit. 16. §. 6., tit. 39. §. 7., lib. 3. tit. 128., lib. 5. tit. 31., Emm. lib. 5. titt. 58. 59., Philipp. titt. 71. 72.

(*b*) Nihil his temporibus magis frequens, quam familiarum inimicitiae, ut qui ex una gente et familia erant,

Digitized by Google

in alterius gentis et agnationis homines, icto foedere, irruerent, et in promiscuam necem convenerint. Rodericus, et Alphonsus de Coito, et Joannes Fernandius mutuum auxilium, et injuriae illatae vindictam spoponderunt. Plura alia exempla, eaque funestissima, in historia occurrunt. Quare Dionysius Conimbricae 11. Januar. anno 1314. similes factiones, pactiones, et conventus graviter, ut par est, et sub capitis poena prohibuit. Vid. Brand. *Monarch. Lusit.* 5. p. lib. 16. cap. 45., lib. 18. cap. 48. (Inst. Jur. Publ. Tit. II. §. XXIII. XXIV. XXV., Inst. Jur. Crim. Tit. IV. §. XII. XIII., Tit. XII. §. I.)

(*c*) Alphonsus Henricus, cum Olisiponem a Mauris cepit, agrum, qui dicitur *Vallada*, inter milites distribuit: sed certum terrae tractum indivisum reliquit pauperibus, illius agri accolis, adsignandum, et Olisiponensem Senatum divisorem ac partitorem constituit. Cum vero jam sub Sancio I. et Alphonso II. potentiores dominium ultra limites extenderent, nihilque ad consuetudinem hanc abolendam praetermitterent, piissimus Rex anno 1284. eamdem firmavit. Brand. cit. cap. 46. Illius tamen hodie nec vola, nec vestigium exstat.

*Donationes inofficiosas revocavit, et Patronorum, Optimatumque jura imminuit.*

§. LIV. Et cum Dionysius, matura jam aetate, animadverteret quantum detrimenti et jacturae Regium patrimonium caperet ex immodicis donationibus, quas ipse minorennis fecerat, eas tamquam inofficiosas revocavit anno 1283. Nobilium quoque gradus, et eorum in Curia functiones, ac diversas in vita civili ἱεραρχίας discrevit atque distinxit. Generali praeterea lege sancivit, ut Patroni omnes, Regnique Optimates suarum donationum Chartas ad eum deferrent: quibus diligenter inspectis, illorum honores, privilegia, jurisdictiones, vel denuo firmavit, vel abrogavit, vel certis cancellis et limitibus, prout e Republica esse videbatur, circumscripsit, Ord. Alphons. lib. 2. tit. 65. et lib. 3. tit. 50., Emman. lib. 2. tit. 40., Philipp. tit. 48. eod.

Digitized by Google

Privilegia atque exemptiones Optimatum in locis, quorum domini esse noscuntur, sub *honoris* nomine veniunt; loca vero hujusmodi adpellantur *honorata (honras)*. Dionysius veteres *honores* confirmavit, recentes abrogavit. Quia vero in Optimatum potestate erat locum aliquem *honorare*, si aut ipsi in eum ingrederentur, aut nutricem ad filium, filiamve ex eo adsumerent: Rex id genus consuetudines improbavit, et neminem *honoris*, vel jurisdictionis titulo gaudere voluit, nisi cui Regiae Literae, Regiumve Vexillum (*pendão* dicebant), aut antiqui denique et immemoriales agrorum limites simile privilegium concessissent. Itaque multiplices super iis inquisitiones fieri jussit: *primas* aer 1328. ann. 1290. per Gundisalvum Moreiram, qui pro Optimatibus; per Priorem Monasterii *da Costa* dicti, tunc temporis Canonicorum Regularium, qui pro Ordinibus; et per Dominicum Paes de Braga, qui pro Populo: *alteras* aer. 1339. ann. 1301. per Joannem Caesarem, cui postea adcessit Joannes Domingues: et *tertias* denique aer. 1346. ann. 1308. per Apparitium Gundisalvium, prout constat ex libris Inquisitionum Dionysii Regis (Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. VI. §. XV., et de Jur. Person. Tit. III. §§. LIX. LX.). Quia vero Optimates et Ricihomines privilegium etiam adfectabant, ut possent, quem vellent, Equestris Ordinis honoribus et privilegiis armare, Dionysius illud revocavit generali lege Scalabi lata 4. Maii aer. 1343. ann. 1305., quae habetur apud Brand. *Monarch. Lusit.* 6. p. lib. 18. cap. 20. Inter Patronorum quoque jura non minimum illud erat, quod Monasteria eos alere, recipere, et iis, eorumque filiis, cum Equestri Ordini adscribebantur, et filiabus, cum in matrimonium collocabantur, certa munera offerre tenerentur: Alphonsus III. primum, deinde Dionysius noster, illius filius ac successor, et postea Alphonsus IV. hujusmodi vectigalium genera, quae *Comedorias* adpellantur, aestimarunt, multumque imminuerunt; quae tandem penitus postea abrogavit Joannes II., ut constat ex Regni, Bracarensis, Olisiponensis, et Vimaranensis Sedis scriniis. *Monarch. Lusit.* 3. p. lib. 11. cap. 20., 6. p. lib. 18. cap. 29., et 7. p. lib. 6. cap. 2. Vide, sis, Ord. Alph. lib. 2. tit. 19., Emman. 11., Philipp. 21. in fin.

Digitized by Google

### *Amortizationis lex.*

§. LV. Omnium vero Dionysianarum legum celeberrima ea est, quae Ecclesiis ac Monasteriis successionis jura ademit, et bonorum immobilium adquisitionem prohibuit. Eam de Optimatum consilio Dionysius Conimbricae tulit 12. Mart. aer. 1329. ann. 1291.: habetur in publico Regni scrinio libro antiquo Legum, et libr. 2. Reg. Dionys., et Ord. Alph. lib. 2. tit. 15. Illius inter alia haec verba sunt: *E porem ponho, e faço tal ley, e tal constituiçom em meu Regno para todo sempre, que se filhos d'algo, ou outras gentes, quer homeês, quer molheres do meu Regno entrarem em Ordeês que aa morte delles aas Ordeês nom venham as sas possissoês, nem as possam vender, nem dar, nem alhear, nem em outra maneira fazer dellas cousa, que se faça engano, perque as ajam as Ordeês: mas se alguũ destes alguũa cousa quizer dar por sa alma, venda o terço de seus herdamentos, e possissoês, e as duas partes fiquem a seus herdeiros; e vendam o terço a taaes pessoas, que nunca se possam tornar aas Ordeês. E esses herdamentos, e possissoês fiquem sempre a taaes pessoas, que nom sejam frades, nem freiras, nem Donas d'Ordeês. E os que nom houverem herdeiros lidemos, ordenem, e fação de seus herdamentos, e possissoês aquello, que teverem por bem em tal guiza, e em tal maneira, que despois nom fiquem esses herdamentos aas Ordeês.*

Non primam Dionysius amortizationis legem tulit; sed ea jam ab ipsis Regni primordiis obtinuit. Nam venerabilis Alphonsus Henricus Joanni, Abbati Monasterii Sancti Salvatoris de Castro, insignis beneficii loco dedit, ut stabilia bona adquirere, et hereditatem ex testamento capere posset, prout constat ex donationis cujusdam charta data aer. 1182. ann. 1144., apud Brand. 5. p. Script. 19. in

Digitized by Google

**Adpend.** Sancius II. Monasterio Alcobatiensi concessit, ut posset in legitimam suorum Monachorum succedere; quam tamen debebat, et quidem bonis conditionibus, eorum cognatis vendere. Sancii Literas ex ejusdem Monasterii scrinio exhibet Brand. 5, p. lib. 17. cap. 8. Inutilia autem essent hujusmodi privilegia, si jam antea non exstaret amortizationis lex. Alphonsus II. Conimbricae ann. 1211. Comitiis apud eumdem Brand. ibid. lib. 17. cap. 8. edixit: *Porque poderiam comprar tantas heranças, que fosse em grande prejuizo da Coroa, e Vassallos della: pelo que julgárão, que nenhuma casa de Religiosos possa comprar herança algũa sem licença delRei, excepto que as poderão adquirir per anniversarios, e outro modo sem preço. E tiramos poder aos Clerigos de comprar heranças, e fazer dellas o que lhes aprouver.* Nemo autem non videt hujusce legis sententiam donationes, successiones legitimas et testamentarias, et quascumque alias adquisitiones comprehendere. Eamdem dilucidius explicavit Dionysius memorata lege anno 1291., qua signanter Monasterio ex capite Monachi succedendi jus ademit. Idem jam antea Olisipone 10. Julii aer. 1324. ann. 1286. statuerat, ne Clerici et Monasteria fundos, possessiones, seu bona immobilia deinceps adquirerent; adquisita vero intra annum venderent, Ord. Alph. lib. 2. tit. 14. §§. 1. 2.: quam tamen legem postea ann. 1309. declaravit ad bona Ecclesiae dotalia non pertinere. Alphonsus V. eisdem immobilium ante decessum Joannis I. ad diem usque 20 Septembr. 1447, possessorum gratiam fecit: cetera amortizationis leges strictius observandas praecepit. Quia vero saluberrimas has leges non nulli de venditione, non de reliquis contractibus intelligebant, et Tabelliones, cum reipsa venditio perageretur, eam dissimulabant, et scripturas sub specioso donationis nomine inscribebant, Ferdinandus Rex in Comitiis apud Olisiponem habitis ann. 1371. hujusmodi fraudes, et inversas interpretationes explosit (§. LX.) Emmanuel similem legem dixit, eamque adposuit lib. 2. tit. 8. suarum Ordinationum. Eamdem in suum Codicem, sed aliquantulum interpolatam (qua de causa §. LXXXIX. Not. videbimus) Philippus II. anno 1603. retulit eod. lib. tit. 18. Philippus III. in eamdem sententiam legem tulit 30 Jul. 1611., et ad vendenda bona annum benigne concessit: idem 13 August. 1612. semestre prorogavit, 23. Novembr. ejusdem anni aliud semestre, et 20. April. 1613. annum denique ad illorum alienationem dedit, Coll. I. ad Ord. lib. 2. tit. 18. Nn. 1. 2. 3. 4. Eamdem denique Dionysii legem Josephus I., Rex Fidelissimus, restituit, declaravit et amplificavit lege 4. Jul. 1768., 12. Maii

Digitized by Google

et 9. Septembr. 1769. §. 10. (Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. V. §§. XI. XII., et de Jur. Rer. Tit. V. §. XXXI.)

Atque brevis haec est istius juris in Lusitania historia. Jure tamen Romano collegia et universitates initio ex testamento capere non poterant. Ab eo postea Romani recesserunt, et SCto sub Marco Imperatore collegiis ex testamento capiendi jus concessum, l. 73. §. 1. *de legat.* 1., l. 20. *de reb. dub.*, Ulpian. in *Fragm.* tit. 22. §. 6., et tit. 24. §. 28. Christianorum vero collegia, cum coetus illiciti essent, ex testamento capere non poterant, 2., l. 3. §. 1. *de colleg. et corpor. illicit.*, l. 8. Cod. *de hered. instit.* Postea vero quam per Constantinum M. universalis Ecclesiae pax adfulsit ann. 312., jam dubitare poterat nemo Monasteria et Ecclesias Christianorum collegia licita esse, et *passivam*, ut loqui mos est, testamenti *factionem* habere. Ab hoc tempore omnium Ordinum homines, Senatores, illustres plebeii, eorum uxores, viduae, filiaeve clararum domorum insignibus, Senatoriis ornamentis, et pretiosa supellectili, ut loquuntur Imperatores in l. 27. Cod. Theod. *de Episcop. Eccles. et Cleric.*, Ecclesias certatim complebant, et adeo vehementi illarum amore, et insigni pietate ferebantur, ut, cognatis amicisque posthabitis, eisdem bona sua eximia liberalitate testamento relinquerent, imo et inter vivos donarent. Multi vero e contrario erant, verae pietatis non iniqui certe aestimatores, qui e Republica esse putabant, tot immensis largitionibus modum imponere. At Constantinus, horum rumores contemnens, amplissima Constitutione (cujus haec nimirum occasio fuit, quae exstat in l. 4. Cod. Theod. *de Episcop. Eccles. et Cler.*, et Justinian. l. 1. *de sacrosanct. Eccles.* ann. 321., concessit generaliter omnibus liberam Ecclesiis sacratissimis et donandi, et testamento relinquendi potestatem. Laudandus Constantinus pro suo in Ecclesiam tunc efflorescentem studio; illius tamen opibus in immensum auctis, reprehendendus. Quare ipsi Imperatores Romani Valentinianus, Valens, et Gratianus non solum Clericis et Ecclesiasticis quibuscumque ann. 370., sed ipsis etiam Episcopis anno 372. prohibuerunt ex laicarum mulierum, quae se eisdem sub praetextu religionis adjunxerint, quidquam earum liberalitate, donatione, vel testamento capere, ll. 20. 22. Cod. Theodos. *de Episc. Eccles. et Cleric.* Theodosius M. ann. 390 generaliter definivit, ut nulla Ecclesia, nullus Clericus, nullus pauper scriberentur herédes, l. 27. Cod. Theod. *eod.* Harum Constitutionum meminit Baronius ad ann. 390. n. 66. et seq., et mirum est, quod eas parum aequas vocet, cum illarum causam et occa-

Digitized by Google

sionem recte adaperiat, excrescentem nimirum Monachorum et Clericorum cupiditatem, qui tot malis artibus civium hereditates aucupabantur, de quibus Ammianus Marcellinus lib. 27. cap. 3., Ambrosius libello 2. *advers. relat. Symmach.*, cet. Egregie hanc in rem Hieronymus *Epist.* 2. *ad Nepot. de Vita Clericor. et Monachor.*: *Pudet dicere, Sacerdotes idolorum, mimi, et aurigae, et scorta hereditates capiunt: solis Clericis et Monachis hoc lege prohibetur; et prohibetur non a persecutoribus, sed a principibus Christianis. Nec de lege conqueror; sed doleo cur meruerimus hanc legem... Audio praeterea in senes et anus absque liberis quorumdam turpe servitium. Ipsi apponunt matulam, obsident lectum, purulentiam stomachi, et phlegmata pulmonis manu propria suscipiunt... Quantis sudoribus hereditas cassa expetitur!*

Non diu tamen Romae viguit Valentiniana lex, eam quippe revocavit Martianus Novell. ult. *de testam. Cleric.* sub finem Cod. Theod. Verum extra Italiam lege quadam generali cautum erat, et omnium fere gentium jure receptum, ut stabilia bona Ecclesiis, collegiis, seu corporibus (quae *manus-mortuas* adpellant, eo quod nihil conferant) non aliter recte relinquerentur, neque aliter ab iis adquiri possent, quam *amortizationis*, seu *amorticinii* beneficio a Principe impetrato. Hoc jure Gallia, Anglia, Venetia, Burgundia, Aragonia, et universa Hispania utuntur. Sandoval *Chron. Alph. VII.* cap. 51., Gothofred. ad l. 4. Cod. Theod. *de Episc. Eccl. et Cleric.*, Brand. 5. p. lib. 17. *Monarch. Lusit.* capp. 7. et 8. Hanc universalem, et omnium gentium legem adlegarunt Optimates in Comitiis Conimbricensibus ann. 1291.: *Que eu posesse tal postura, e tal lei, qual se usa em muitas terras*; et supplices a Dionysio petierunt, ut similem legem statueret: aiebant enim Monasteria opibus abundare, et de Ecclesiasticorum avaritia conquerebantur, quae nimirum tanta erat, ut Sacramenta, et ecclesiasticam sepulturam iis denegarent, qui Ecclesiae Parochiali pingue aliquod legatum non relinquerent, graviter hac de causa reprehensi ab Honorio III. in Epistola, quam ad Priores Ordinis divi Dominici et Francisci Olisipone degentes dedit anno 1222. Meminerant praeterea Matthaeum, Episcopum Olisiponensem, ann. 1271. Constitutionem quamdam Synodalem fecisse, qua inter alia scriptum erat, dodrantem hereditatis ad Ecclesiam pertinere, si testator sine Parochi consilio, vel alterius, ejus nomine, ordinasset testamentum. Brand. 5. p. lib. 16. cap. 63. pag. 148., et 6. p. lib. 18. cap. 58.

Digitized by Google

pag. 250. Haec cum ita sint, dubitare jam poterit nemo, hanc omnium Dionysianarum legum fuisse sapientissimam.

## *Forales leges, et Concordatae.*

§. LVI. Non semel autem Dionysius Regnum universum peragravit, subjectorum querelas auditurus. Forales leges innumeris locis dedit, veluti oppidis vulgo *Aljazur* 12 Novembr. aer. 1318. ann. 1280., *Oriola* 2 Mart. aer. 1320. ann. 1289., *Castro Marim* 1. Maii aer. 1320. ann. 1282., *Povoa da Veiga* 11. Januar. aer. 1322. ann. 1284., *Ourique* 8. Januar. aer. 1328. ann. 1290., *Lanhoso* 25. Septembr. aer. 1330. ann. 1292., quae constant ex Foralium Codice in Regni scrinio. Contentiones inter Alphonsum parentem, et Ecclesiasticos ortas amice composuit, et semel atque iterum ac saepius Concordatas, ut adpellant, celebravit.

Concordatas Dionysius quatuor celebravit. *Primam* in Egitanensi civitate aer. 1320 ann. 1282. Quae illius capita fuerint, non constat; illud tamen interim certum est, Dionysium una cum Episcopis ad Martinum IV. scripsise, ut eam confirmaret. Martinus capita non nulla probavit, non nulla rejecit, et nova plura de suo addidit, quae ad Legionem Episcopum, et ad Archidiaconum Oxomensem ac Salmanticensem remisit, ut Regi exhiberentur. Dionysius adsentiri iis noluit, et ab Honorio IV., Martini successore, per Martinum Pires, Eborae Praecentorem, et Stephanum Laurentium petiit, ut rejicerentur. Nihil sub Honorio IV. actum est: perbrevis namque illius Pontificatus fuit. Nicolaus IV. aer. 1327. ann. 1289. jussit Tello Bracarensi, Aymerico Conimbricensi, Bartholomaeo Silvensi, Joanni Lamecensi, qui Romae erant causam omnium Regni Episcoporum nomine acturi, ut cum dicto Martino Pires, et Joanne Martino, Canonico Conimbricensi, Regis Administris, de tota controversia, et negotio deliberarent. Ii vero cum in quadraginta tandem articulos, seu capita convenissent, eodem anno Nicolaus IV. ea

plenissime confirmavit: et haec vere est prima Concordata. *Secundam* paulo postea iidem Episcopi cum Rege habuerunt, eodem Pontifice adprobante. Continet undecim articulos. *Tertia* Regem inter ipsum et Vincentium Portuensem, Joannem Egitanemsem, Joannem Lamecensem, Egam Visensem Episcopos habita fuit in Portuensi civitate 23. Augusti aer. 1330. ann. 1292. Continet decem articulos. *Quarta* Olisipone die 27. Jul. aer. 1347. ann. 1309. Regem inter ipsum et Joannem Episcopum Olisiponensem, ac ejusdem Sedis Capitulum habita fuit. Continet duo et viginti articulos. Eas ferme omnes ex publico Regni scrinio, et Olisiponensis, Bracarensisque Sedis tabulariis exhibent Brandanus *Monarch. Lusit.* 6. p. lib. 16. capp. 36, 37. 73., lib. 17. cap. 16., lib. 18. cap. 34., et Pereira *de Man. Reg.* tom. 1. pag. mihi 329. et sequent., qui easdem aliquantulum illustrat [§. XLVII. h. lib. Not. (*a*)]; habentur etiam apud Ord. Alphons. lib. 2. titt. 1. 2. 3. 4.

## *Lusitanae linguae usum in foro introduxit.*

§. LVII. Quia vero Latina tantum lingua non modo in legibus publicis; verum etiam in foro, et in ipsis privatorum scripturis frequentabatur, Dionysius Lusitanae usum reposuit, in eaque plures libros verti jussit, veluti Historiam Arabum Rasis Mauri, et leges *Partitarum* Alphonsi X., Castellae Regis, cognomento *Sapientis*, illius Avi, quae tunc magno in pretio et honore habebantur.

Latina dumtaxat lingua in publicis privatisque instrumentis nostrates initio utebantur. Dionysius, literarum omnium in Lusitania fundator, illius usum in foro prohibuit, et Lusitanae tandem debitum honorem reddidit: ut vero eam pluribus adcessionibus locupletaret, in eamdem inter alia transferri jussit non contemnendam prorsus Arabum, et primi Almansoris, Cordubae Regis, Historiam, quae Rasim Maurum auctorem habet, itemque celeberrimas hoc tempore Partitarum leges. Vid. Alphons. Gars. Matamor. *de Academ.*, *literatisque Vir. Hispan.*, Resend. *Antiq. Ebor.* Cap. XI., et *Epist. ad Kebed.*, Brand. 5. p. lib. 16. cap. 3.

Digitized by Google

## *Alphonsi IV. leges.*

§. LVIII. Alphonsus IV., magni Dionysii filius, plures quoque leges dedit, quae hodie etiam vigent, earumque non nullae in Regiis, quibus utimur, Ordinationibus habentur. Illarum summa haec est: quod creditor debitorem suum pignerari propria auctoritate non possit, Ord. lib. 4. tit. 57.: Quod de injuriis verbo illatis Senatus loci cognoscat, Ord. lib. 1. tit. 65. §. 25., et tit. 66. §. 5.: De iis, qui praecones, adparitores, adcensos impediunt, ne pignerationes, et reliqua, quae in mandatis habent, exsequantur, lib. 3. tit. 89., lib. 5. tit. 49. §. 4.: De carceris custode, qui reo vincula solvit, lib. 1. tit. 77. §. 6.: De magistratibus, eorumve adparitoribus, qui civium domos sub praetextu malefactores inquirendi ingrediuntur, Ord. Alph. lib. 1. tit. 30. §. 17., lib. 5. tit. 76., Emman. lib. 1. tit. 56. §. 21.: De iis, qui auditorium, Judice pro tribunali sedente, clamoribus complent, vel injuria suum adversarium adficiunt, lib. 5. titt. 42. 51.: Quod in possessionis judicio, vel in causis generaliter omnibus, quibus de vi et violentia agitur, juris ordo non servetur, lib. 3. tit. 48.: De judicibus, eorumve Ministris largitionibus corruptis, lib. 5. tit. 71.: Quod tesserae, alearumve ludus non exerceatur, lib. 5. tit. 82.: Quae res ex Regni provinciis commercii causa exportari possint, titt. 112. 113.: Quod desertam ab actore adcusationem, seu querelam judex ex officio prosequatur, tit. 122.: Certas in mutuo et cambio usuras definivit, lib. 4. tit. 67.: De vidua, quae sua, et minorum bona dilapidavit, tit. 107.: Quod famulis non nisi intra triennium mercedem petendi jus esset, tit. 32.: Adulterii, raptus,

Digitized by Google

raptus, stupri, falsae monetae, et aliorum criminum poenas statuit, lib. 5. titt. 12. 22. 23. 24. 25. 35., lib. 1. tit. 65. §. 31.: Et quod denique Regii Magistratus honorentur, lib. 5. titt. 49. et 60.

Alphonsus IV. anno Dom. 1325. regnare coepit. Leges parentis Dionysii firmavit, et victualia Monasteriorum, ab illo jam definita, ipse magis magisque imminuit, et fere omnino exstinxit. Neque tamen a contentionibus Ecclesiasticorum immunis fuit; magnae namque turbae inter eum et Archiepiscopum Bracarensem Gundisalvum Pereiram, et Petrum Alphonsum, Episcopum Portuensem, excitatae sunt anno. 1343., de quibus inter alios scripsit Rodericus a Cugna *Catalog. Episcopor. Portuens.* 2. p. cap. 19. pag. 174. et seq. Summam Alphonsi IV. legum exhibet Oduardus Nonius Leo illius *Chron.* Optimatum quoque jurisdictionem definivit generali Edicto, cujus mentio fit Ord. lib. 2. tit. 45. §. 6.

## *Petri I. leges.*

§. LIX. Non nullas etiam leges Petrus, hujus nominis primus, tulit, videlicet quando uxor marito ab intestato, vel e contrario maritus uxori possit succedere, Ord. lib. 4. tit. 94.: De vidua, quae intra annum et diem a mariti morte se in matrimonium collocavit, eod. lib. tit. 106.: De securitatis literis, lib. 5. tit. 129.: De quaestionibus, et quando Optimates, Patricii, Equites, Doctores vim tormentorum perferre debeant, eod. lib. tit. 133. Renatae quoque sub eo fuerunt veteres Ecclesiasticorum contentiones; eas tamen Petrus amice composuit, Ord. Alph. lib. 2. tit. 5.

Acerrimus justitiae Petrus propugnator et defensor fuit, *Crudelis* idcirco a non nemine adpellatus. Illius leges refert in summa Oduardus Nonius Leo illius *Chron.* Concordiam Petrus Helvensi in civitate cum Regni Antistitibus habuit aer. 1399., in qua inter alia constitutum cap. 32.,



Digitized by Google

ut nullae leges ecclesiasticae, nullum rescriptum, et mandatum curiae Romanae sine Placito Regio exsecutioni mandarentur; quod postea, et quidem significantioribus verbis firmatum etiam fuit in Concordia Joannis I. art. 87. apud Ord. Alphons. lib. 2. tit. 5. et 7. Multum vero suavis est Gabriel Pereira, qui ad cit. cap. 32. Bullarum retinendarum jus non ex natura imperii, sed ex privilegio Castellae Regno concesso, et ex ratione antiquae suae unionis derivat. Vide Ord. Alphons. lib. 2. tit. 12., Fevret *de Abus*. lib. 1. cap. 3. n. 7., Petr. de Marca *de Concord. Sacerd. et Imper.* lib. 2. cap. 12. §. 8., lib. 3. cap. 1. §. 7., et lib. 6. cap. 28. §. 10., Salg. *de Retent. Bullar.*, Bellug. in *Specul. Princip.* rubr. 13. vers. *Restat*, Covarruv. *Practic. Quaest.* cap. 35. n. 6., cap. 36. n. 3., Giannon. *Istor. Civ. de Napol.* tom. 4. lib. 23. cap. 5., Van-Espen tract. *de Promulg. Leg.* p. 2. cap. 3., Febron. cap. 9. §. 8., Eybel lib. 2. cap. 2. §. 110. Not. *a*. (Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. V. §. XIV.)

## *Ferdinandi leges.*

§. LX. Ferdinandus I., Petri successor, receptam a regni incunabulis legem, ne corpora, quae *Manus-mortuas* adpellant, stabilia bona adquirere possint, firmavit (*a*). Reginae, Principum, Optimatum, Episcoporum, et aliorum jura ac jurisdictionem definivit (*b*). Patriciis, et Clericis prohibuit, ne se immiscerent negotiis saecularibus, neve commercia et negotiationes exercerent, Ord. lib. 4. tit. 16., Emman. eod. lib. tit. 32., Alph. 47.

(*a*) Cum in Comitiis apud Olisiponem anno 1371. nobiles quererentur: *Que era prohibido pelos Reys passados comprarem os Clerigos bens de raiz; e por se melhor guardar esta ley, defenderom aos Tabelliaens que nom lhes fizessem cartas de venda; e que agora elles em engano da dita ley, quando querem comprar alguma possissom, fazem fazer as cartas a seus criados, ou a mancebas, ou a alguns seus amigos; e dahi recebem delles doaçoens, ou fazem com elles permudaçoens das ditas cousas por outras nom tam boas, e os Tabelliaens nom deixam de fazer as cartas das doaçoens, ou escaimbos;*

Digitized by Google

*porque dizem que pela dita ley nom lhes he defeso senão as vendas: assi que o que lhes he defeso por huma via, cobrão-no por outra:* Ferdinandus hujusmodi Ecclesiasticorum fraudibus obviam ivit, et eis tam venditionis, quam donationis ac permutationis chartas a Tabelionibus fieri prohibuit, neve stabilia bona emerent, vel quovis alio titulo nisi de Regis licentia haberent (§. LV.).

(*b*) In Comitiis oppido Atouguiensi postea habitis 13. Septembr. aer. 1413. ann. 1375. jurisdictionis, et regiminis formam Ferdinandus donatariis omnibus dedit celeberrima lege, quae exstat in Ordinatione Alphonsina lib. 2. titt. 40. et 63., Emmanuelina 26., et Philippina 45. Eamdem ipse legi in libro quodam *Nobilis* inscripto pag. 268. et seq., anno 1436. per Didacum Alphonsum, Prioris D. Gundisalvi Colonum, ordinato, qui magna cura in Regio Sanctae Crucis Monasterio apud Conimbricam adservatur.

## *Praeclara quaedam ejusdem instituta.*

§. LXI. Balatrones, et otiosos homines, inopes et mendicos ad culturam agrorum destinavit, et non nisi senectute et aegritudine confectos ostiatim alimenta quaerere permisit. Navigationis usum et utilitatem agnovit, nautas plurimis ornavit privilegiis, et nauticum Collegium instituit, in quod communia lucra et damna socii conferrent. Servis dominum, cui in pace et otio servierunt, belli tempore deserendi facultatem denegavit. Immortali vero laude vel eo tantum Ferdinandus dignus est, quod Agriculturam, artium omnium in vita civili maxime necessariam, praemiis et honoribus, celeberrima lege agraria lata, promovit.

Ferdinandi has leges exhibent Oduardus Nonius Leo, et Ferdinandus Lopes, illius *Chron.* cap. 92., et Fr. Emmanuel a Sanctis *Monarch. Lusit.* tom. 8. lib. 22. capp. 19. et 30. De rebus nauticis Ferdinandus leges dixit Comitiis Atouguiensibus. Providentissimam vero legem agrariam Scalabi tulit 26. Jun. ann. 1375., qua nimirum inter alia cautum, ut agricolae omnes vel ipsi terras suas colerent,

Digitized by Google

vel aliis eas intra certum tempus colendas arandasque committerent; quod si non facerent, Magîstratus ex officio earum culturam aliis sub certa pensione non earum dominis, sed loco, et Senatui ad publicas necessitates sublevandas adplicanda demandarent: Ut cives tot boves haberent, quod ad agrorum culturam necessarii esse viderentur: Ut omni, et quocumque loco viri boni essent, qui terras frugiferas ad infructuosis destinguerent, qui eas dividerent, praestationes aestimarent, et nomine Reipublicae illarum curam gererent: et denique ut iis colendis veluti glebae adscripti essent balatrones, mendici, et otiosi homines; et hujusce generis alia longe plurima, quae magna ex parte transcripta exstant Ord. lib. 4. tit. 43., Emman. tit. 67., Alph. 81. Ferdinandi hanc legem integram exhibet ex Olisiponensis Senatus scrinio Fr. Emmanuel a Sanctis 8. p. lib. 22. *Monarch. Lusit.* cap. 19. pag. 134. Providentissimam etiam aliam ejusdem legem de otiosis hominibus vel prorsus e civitate eliminandis, vel certo in Republica usui, agrorum praesertim cultui, mancipandis, et de mendicis non nisi senectute et aegritudine nimia confectis tolerandis, Philippus III. 12. Martii 1603., 9. Januar. 1604., 30 Decembr. 1605., 25 Decembr. 1608., Joannes V. 25. Mart. 1742, et Josephus I, Rex Fidelissimus, 4. Novembr. 1755., et ultimo tandem sapientissima lege 25. Jun. ann. 1760. §§. 18. et 19., qua specialem unum, eumque Supremum Politiae Magistratum in Lusitania creavit, confirmarunt (Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. X. §§. XX. XXII.).

### *Justinianei Juris his temporibus usus.*

§. LXII. Ut vero de Justinianei Juris usu in hac temporis periodo, quae ducentos circiter annos complectitur, aliquid dicamus, confidenter adserere non veremur, quod postquam Jus illud Bononiae occasione Pandectarum Amalphi repertarum florere coepit, quemadmodum in reliquas Europae Nationes, sic in Lusitaniam nostram penetravit.

Vulgaris opinio est Pandectarum Codicem Amalphi sub Lothario repertum occasionem Juris Civilis in Occidenti instaurandi dedisse. Franc. Taurell. in dedicat. *Pandectarum Florentinar.* a se editar. Florent. ann. 1553. Alii aliter

Digitized by Google

sentiunt. Vid. Joann. Martin. Silberradium *Not*. 39. *ad* illud *Heinecc. Histor. Jur. Civ.* lib. 1. §. 413. Ut ut sit, dubitari certe non potest, quod hac tempestate multi eximiique viri ex omni natione et populo Juris Civilis ediscendi gratia ad Italiam, tamquam ad mercatum quemdam, confluxerint. In Lusitania vero nostra hoc tempore Justinianei Juris usum non nulla suadent. Nam, saeculo XIII. ineunte, sub Alphonso II. Leonardum, Jureconsultum eximium, natione Mediolanensem, ab eodem Romam missum legimus, ut illius nomine vexatissimam cum sororibus Sancia et Therasia contentionem in Curia ageret. *Monarch. Lusit.* 4. p. lib. 13. cap. 4. Verosimile autem est, eum idem jus, quod Italiae didicerat, in Lusitaniam traduxisse, et in Regia, et in foro, et ubique commendasse. Eodem saeculo decurrente, ann. 1271. Alphonsus III. quemdam D. Gomez, Juris Civilis Doctorem, judicem nominavit in causa inter se et Magistrum Ordines Sancti Jacobi agitata. *Monarch. Lusit.* 4. p. lib. 15. cap. 38. Illud certum est, tam brevi de Juris Romani praestantia famam increbuisse, ut Dionysius, ejusdem Alphonsi filius, in Academia, quam primum Olisipone fundavit, quamque amplissimis literis 13. Aug. ann. 1290. datis Nicolaus IV. confirmavit, Legum Professores crearet, et Jus Romanum publice explicandum interpretandumque proponeret. Itaque Dionysius inter nos primus instituit Juris Civilis et Canonici studium: nam Latina Lingua et Theologia (ut hoc in transcursu moneam) jam antea quibusdam in Paroeciis, ubi etiam publicae prostabant Bibliothecae, et in Cathedralibus praesertim insignioribus, veluti Bracarensi, Olisiponensi, cet., tradebantur. Denique Romani Juris in Castella et Lusitania usum probat Codex Legum Partitarum ab Alphonso X., Castellae Rege, eodem saeculo XIII. elaboratus, quem Dionysius nepos tanti fecit, ut eum Lusitane verti jusserit. In Alphonsino autem hoc Codice quod permulta ex Jure Romano mutuata sint, facile ex illius lectione adparet, et ipse jam observavit Heineccius lib. 2. *Histor. Jur. Germ.* §. 59.

## *Itemque Juris Canonici.*

§. LXIII. Juris quoque Canonici in Lusitania usus quamplurima vestigia exstant. Nam postquam saeculo XII. *Decretum* Gratiani, et XIII. *Decretales* Gregorii IX., itemque *Sextus* Bonifacii VIII., et aliae Juris Canonici collectio-

Digitized by Google

nes prodierunt statim eodem saeculo ab Alphonsi II. tempore illud in Lusitania adlegari, et sub Dionysio una cum Jure Civili publice interpretari consuevit.

In Lusitania initio saeculi XIII. sub Alphonso II. Gratiani Decreti mentio fit; ipse enim Comitiis Conimbricensibus habitis anno 1211. finem hac praefatione imposuit: *Que sempre as Leys sejam, e os Degredos* (quo nomine Gratiani Decretum intelligitur) *dos Apostoligos de tal guiza, que se compram estes Degredos, e os que contra a Sancta Igreja veerem feitos, nom nos ajão por leys.* Et ex hoc patet, quanta Sedem Apostolicam et illius Decreta veneratione Alphonsus prosequeretur; dignus vel hac tantum de causa, qui in contentionibus, quae postea emerserunt (§. XLVII.), mitius ac honorificentius ab eadem Sancta Sede haberetur. Eodem saeculo, et initio sequentis in Concordia quarta Dionysii Regis artt. 11. et 16. Decreti Gratiani sub eodem nomine *Degredo* mentio fit, et ibidem capita non nulla referuntur ex Decretalium, et Sexti libro, veluti Cap. *At si Clerici* 4. X. *de Judic.*, et Innocentii, Glossatorisque auctoritas maximopere commendatur. Ex quibus Juris Canonici in Lusitania usus satis superque ostenditur.

### *Lusitani suarum legum tenacissimi.*

§. LXIV. Neque tamen propterea Lusitania Patriis Juribus nuntium remisit; scimus enim Lusitanos nostros Patriarum semper Legum et Consuetudinum studiosissimos tenacissimosque fuisse. Iis vero deficientibus, vix dubito, quin jam initio peregrino Jure, Civili scilicet, aut Canonico, sed parce admodum, et in subsidium tantum, uterentur.

Hoc tempore non tanta profecto erat, quanta postea fuit, Civilis, Canonicive Juris auctoritas; namque antiquae Regni Leges et Consuetudines saepius Reges nostri in usum revocabant, et subinde novas condebant, in quibus quanta ab adventitio eo Jure vel omnino neglecta et praetermissa, vel omnino contraria statuerint, ex iis, quae hucusque diximus, facile intelligi potest.

Digitized by Google

## *Qui causas litesque hoc tempore judicabant.*

§. LXV. Lites his temporibus coram loci Judicibus ordinabantur, ab iisque non, ut antea, ad Concilium Urbis coram Rectore, Ricohomine, ceterisque Magnatibus, et spectatae virtutis viris (§. XLI.), sed ad Praetores per singulas non civitates, sed provincias constitutos, vel ad Regem ipsum, tamquam ad supremum Magistratum, provocabatur. Senatum praeterea, seu Conventum Juridicum jam hac aetate apud Scalabim oppidum institutum fuisse credimus.

In historiis horum temporum legentes apud Scriptores nostros passim offendent nomina Praetorum (*Corregedores* adpellamus), qui ad Provincias singulas cum imperio et jurisdictione mittebantur; et ex iis hunc judiciorum ordinem hinc inde colligere licet (Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. II. §. XIII.). Illud monendum, hujusmodi Magistratus et Praetores initio e numero Jureconsultorum non esse, neque Academicis honoribus, vel titulis insignitos; sed viros patricios, in civitate primarios, eximiae probataeque virtutis, et multarum denique magnarumque rerum usu atque exercitatione subactos: ad Joannem namque, hujus nominis secundum, referendum est, quod ad Praetorum, et majorum Magistratuum officia non nisi Jurisperiti adsumantur. D. Franc. Emman. *Epanaph.* 1. pag. 27. prim. edit. Senatus vero Scalabitani (*Relação* vulgo adpellant) hoc tempore instituti mentionem facit Oduardus Nonius Leo in *Alphons. Henr. Chron.* Sed quis nostrorum Regum Juridicum hunc Conventum primus creaverit, qui primus illius Praeses, primive Senatores fuerint, non declarat.

Digitized by Google

# CAPUT VII.

## DE JURE LUSITANO AB JOANNE I. AD EMMANUELEM REGEM INVICTISSIMUM.

### *Joannis I. leges.*

§. LXVI. JOannes I., Comitiis apud Conimbricam habitis ann. 1385. Rex felicissimis auspiciis salutatus (*a*), Lusitanae Gentis gloriam longe lateque amplificavit, et, rebus primum foris compositis, domi Rempublicam sibi concreditam sanctissime rexit, et pluribus, iisque sapientissimis firmavit legibus. Nam inter alia Caesaris aeram, qua in publicis privatisque instrumentis Hispani omnes utebantur, die 22. Aug. anno Domini 1422., qui Caesaris erat millesimus quadringentesimus sexagesimus, abolevit, Ord. Alph. lib. 4. tit. 66., Emm. tit. 51.: Ecclesiasticorum Scribis idem salarium ac mercedem saecularium definivit, Ord. lib. 2. tit. 20., Emm. 10., Alph. 18.: Plures nauticas leges dedit (*b*): et Judaeis quoque ac Mauris antiqua sua privilegia servavit (*c*).

(*a*) Portugaliae Regnum hereditarium est, nec potest unquam Populi suffragiis deferri, nisi in defectum descendentium legitimorum ab ultimo possessore, et agnatorum ad remotissimos usque omnes successionis gradus (§. XL. h. lib., Inst. Jur. Civ. Lusit. Lib. III. Tit. IX. §. III.). Itaque Comitiis Conimbricensibus Joannes, Avisiensis Magister, fuit jure meritoque electus: quia scilicet Ferdinandus Rex sine liberis et cognatis, qui ei possent succedere, diem obivit suum. Nam Beatrix, illius filia, cum uxor

Digitized by Google

Castellae Regis esset, ipsa Lege Regni Fundamentali excludebatur. Joannes et Dionysius, vel ut nothi Petri I. filii ex Agnete a Castro suscepti, vel ut perduelles, qui cum Joanne Castellae Rege, et ejus parente Henrico non semel in Portugaliae fines populabundi excurrerant, non poterant ejus Regni, quod tot damnis, totve cladibus compleverant, successionem adipisci. Vacuum igitur Regnum erat; quo casu Jure Gentium majestas ad Populum revertitur, qui eodem Jure potest illa quemvis adornare, ac Regem creare. Itaque extraordinaria haec Comitia fuerunt, et longe alia a Lamecensibus, et reliquis, quae Joannem nostrum vel antecesserunt, vel subsequuta postea fuerunt. Vide, sis, *Deduct. Chronol. et Analyt.* 1. p. divis. 12. §. 679. et seq., ubi in hanc rem plures publici privatique Juris Scriptores adlegantur, quibus addo nostrum Oduardum Nonium Leonem, virum Lusitani Juris et Lusitanarum antiquitatum peritissimum, in Josephi Teixerae libellum *de Regum Portugaliae origine* Cens. 78. Comitia vero Conimbricae habita legere si quis velit, adeat Fr. Emman. a Sanct. 8. p. *Monarch. Lusit.* lib. 23. capp. 29. 30. 31. et 33., Ferdinand. Lop. *Chron. Joann. I.* p. I. cap. 187. et seq., ejusdem Regis Chronica alia edita studio Roderici a Cugna, Archiepiscopi Olisiponensis, Olisip. ann. 1643. capp. 44, 45. et seq., et Joseph. Soar. Silv. *Memor. Joann. I.* tom. 1. capp. 40. 41., et tom. 4. Document. Nn. 7. 8.

(*b*) Quantum ab Joannis I. Regis tempore Lusitani nostri rei nauticae peritia excelluerint, quae maria incognita navigarint, et quae denique Regna et Civitates Europaeis usque eo invisas explorarint, non modo omnes domestici profecto sciunt, sed etiam ipsi exteri profitentur, neque porro meum est id edisserere: quocirca Joannes I., Rex felicissimus, quid juris, navi capta, et Regi, et capienti, et navis magistro, et illius domino, et quid tandem militibus juris esset, minutissime definivit, et pro quantitate et qualitate mercium, navis captae, et praedae, modo jus suum intendit, modo illud (ubivis tamen ex aequitate) remisit. Longiora sunt haec capita, quam ut commode referri possint. Ea fere integra exhibet Ferdinandus Lopes. *Chron. Joann. I.* p. 2. cap. 127., Oduardus Nonius Leo cap. 72. Et hinc nimirum originem suam ducere videntur Ordinatio Alphonsina lib. 1. tit. 54. §. 15., Emmanuelina lib. 5. tit. 112. §. 2., Philippina tit. 107. §. 1. (Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. IX. §. X.).

Digitized by Google

(*c*) Judaeos, patria extorres, Gothorum, Legionis, et Portugaliae Reges humaniter receperunt. Gothi plures, easque humanissimas iisdem leges dederunt, quae habentur illorum Codice lib. 12. titt. 2. et 3.; plures etiam diversis temporibus Hispani Reges, quas referre neque instituti nostri, neque brevitatis, quam meditamur, ratio patitur. Ad Lusitaniam quod adtinet, certum est, quod sub primis illius Regibus Judaei ad civilia Reipublicae munera admitterentur, artt. 65. et 66. apud Ord. Alph. lib. 2. tit. 7. Hebraeus Judas sub Dionysio, David sub Ferdinando, Moyses sub Joanne I., Regii Administri fuerunt. Et quid, quaeso, obstare poterat? Religionis habebant libertatem, et Judices e gente sua nominabant, qui Auditores dicebantur, iique Olisipone, Conimbricae, Eborae, Viseo, Faro, Trancoso, Collipone, Covillanio et Scalabi habitabant. Communibus, et propriis vivebant legibus, quae exstant Ordinatione Alphonsina lib. 2. Clemens VI. 5. Jul. ann. 1247., et Gregorius IX., qui in Epistola Decretali ad Astoricensem et Lucensem Episcopos in cap. *Ex speciali* X. *de Judaeis et Sarac.* aliquantulum eisdem infensus esse videbatur, postea literis amoris et benevolentiae plenissimis datis 2. Jul. 1389. Judaeis inter alia concessit, ut Christianorum nemo nova eis tributa imponeret, Religionis usum prohiberet, sacrave more suo peragentes impediret. Haec autem privilegia Joannes I. non solum confirmavit 17. Jul. ann. 1392., verum etiam nova multa alia adjecit, et ann. 1422. eos liberavit ab onere in bello cum equo serviendi, quod generali Regni lege injunctum iis omnibus erat, qui certum censum habebant. Similia fere Mauris Joannes concessit. Sub Emmanuele vero Rege, cum Judaei fere omnes sacra ablutione se expiarent, legem ipse tulit apud Nabantiam (*Thomar* adpellamus) 1. Mart. ann. 1507., ut deinceps promiscuis Lusitanorum legibus, moribus, et honoribus fruerentur, quam postea Joannes III. Eborae 16. Decembr. ann. 1524. confirmavit. Ab hoc tempore non solum civilia, ut antea, sed ecclesiastica quoque obibant munera. Introductis autem ab intestinis et domesticis hostibus clandestinis *de puritate* Brevibus Sixti V., Clementis VIII. et Pauli V., ad Conimbricensem Academiam datis, non modo Judaeis perversam Judaicam sectam profitentibus, verum etiam eamdem publice ejurantibus, et sacro jam fonte ablutis tam Reipublicae, quam Ecclesiae ipsius officia ac ministeria in Portugalia conferri desierunt (Inst. Jur. Civil. Lusit. lib. II. Tit. I. §. VI.). Verum praefatas Emmanuelis et Joannis I. et III. leges Josephus I. nuperrime in usum revocavit sapientissima lege lata 25. Maii 1773, et 15. Decembr. 1774.

Digitized by Google

Vide omnino August. Barbos. lib. III. Vot. XCIII. (Judaeos fidem catholicam profitentes nullo contumelioso nomine de Judaica religione objurgare jam a Philippo III. prohibitum fuerat lege 24. Novembr. 1601., de qua videnda *Synops. Chronol.* tom. II. pag. 288.).

## *Joannis ab Aregis Codex.*

§. LXVII. Quia vero leges a Regni primordiis latae non poterant omnes casus comprehendere, Joannes ab Aregis, eximius et magni nominis, Jureconsultus, ea, qua apud Regem gratia et auctoritate pollebat, auctor fuit, ut Justinianeus Codex tamquam Legum Lusitanarum supplementum, quibusdam Accursii et Bartoli interpretationibus adjectis, ejus in primis opera et studio Lusitane verteretur.

Nondum curiositatem meam ita potui explere, ut Justiniani Codicem a tanto talique viro cum Accursii et Bartoli, quas probaverat, interpretationibus, Patrium in sermonem translatum viderem: cum tamen illius mentionem faciant Oduardus Nonius Leo *de Ver. Reg. Portugall. Genealog.* in Joann. I., Faria *Europ. Portug.* tom. 2. p. 3. cap. 1. n. 159., cet., dubitare non possum, quin ejusdem auctor fuerit Joannes ab Aregis (vulgo *das Regras*, Lusitane *d'Aregas*, Ludov. Sous. *Histor. divi Dominici* p. 2. lib. 2. cap. 17., Oduard. Non. *de Ver. Reg. Port. Geneal.* in Joann I., *Monarch. Lusit.* 8. p. lib. 23. cap. 33. in fin.). Enimvero Joannes I. Joanni Mendesio, Equiti, et Curiae Praetori, mandata dedit, ut Lusitanas leges in unum Codicem redigeret: at tantae molis opus, eo regnante, et filio Oduardo, in lucem non prodiit: itaque nihil prohibet, quod interim, et tamquam in Patriarum legum supplementum Justinianeus Codex Lusitane verteretur. Tanta nimirum id temporis erat Juris Romani, Acursii et Bartoli auctoritas, ut facile iis credamus, qui similem ex Latino in Patrium sermonem versionem testantur, maxime cum in eodem Codice sub Joanne I. instituto, et sub Alphonso V. in lucem edito, jus ipsum Romanum, et

Digitized by Google

Glossatorum opiniones confirmatas videamus lib. 2. tit. 9., unde originem suam duxit Emmanuelina Ordinatio tit. 5. eod., et Philippina lib. 3. tit. 64. Mirandum autem non est, neque profecto multum dolendum, opus manuscriptum hodie non exstare, et cum pluribus aliis injuria temporum periisse. De Bartoli aetate quamvis dubitatum relinquat Pancirollus *de Clar. Leg. Interpretib.* lib. 2. 42.; tamen illius mors communiter refertur ad annum 1355. aer. 1393., et Joannis ab Aregis ad annum 1404. aer. 1442., ut ex ejus inscriptione sepulcrali constat apud Ludov. Sous. loc. supradict.: adeoque Bartoli inter et Joannis ab Aregis mortem quadraginta supra novem anni intercesserunt: eum igitur Bononiae audire poterat, cum annos natus esset quindecim, vel viginti. Quare non Lusitanarum Legum codicem aliquem concinnavit, sed Justinianeum Lusitane versum nobis obtrudit vir ille toga militiaque clarissimus, et de Republica nostra praeclare, sed non hac de causa, meritus (quis enim haec magna et eximia judicabit?), sed quod eam inclinatam, et humi fere jacentem Comitiis Conimbricensibus ann. 1385. erexerit, et mira arte suis veluti humeris sustentaverit. Fallitur ergo, si quid video, Didacus Barbosa, auctor *Bibliothecae Lusitanae*, qui sub verbo *João das Regras* existimat illius Codicem sub titulo *Ordenações do Reino de Portugal* in lucem postea prodiisse ann. 1514. 1521. et seq. Nam quae ibidem tradit de diversis Regni Ordinationum editionibus, non ad Joannis ab Aregis, sed ad Emmanuelis Regis Codicem referenda sunt.

## *Alia Joannis I. instituta.*

§. LXVIII. Contentiones Ecclesiasticorum jam saepius repetitas amice composuit, et Concordia quadam sedavit (*a*). Senatum apud Scalabim multo antea institutum ad Olisiponem transtulit (*b*). Portuensem civitatem primus omnium Lusitaniae Regum sub sua plana potestate habuit (*c*). Celebre etiam sub eodem Senatusconsultum Olisiponense factum perhibetur de Bacchanalibus, *Maialibus*, cantilenis Januariis, et non nullis aliis superstitionibus removendis (*d*). Auctor fuit celeberrimae legis,

Digitized by Google

quam *Mentalem* adpellant, vel quia eam nunquam literis consignavit, et alta semper habuit mente repositam, vel quia ad illius mentem Oduardus Rex eamdem postea promulgavit ann. 1434.

(*a*) Concordiam hanc, Scalabi habitam 30. Aug. 1427., exhibet Gabriel Pereira *de Man. Reg.* p. 1. pag. mihi 364. et seq., et Ordinatio Alphonsina lib. 2. tit. 7. Continet quatuor supra nonaginta articulos, omnes certe, qui legantur, et memoria retineantur, dignissimos.

(*b*) Supremum Senatum, quo forensia negotia ultima, ut JCti aiunt, instantia deciderentur; ad Olisiponem transtulit, eique Ferdinandum Guerram, Archiepiscopum Bracarensem, primum praefecit. Oduard. Non. *Chron. Petri I.*, Joseph. Soar. Silv. *Memor. Joann. I.* tom. 2. cap. 105. §. 604., Cugn. *Catal. Episcopor. Portuens.* 2. p. cap. 26.

(*c*) Quod dominium et jurisdictio civitatis Portuensis a Regni primordiis (§. XLIX.) penes ejus Episcopos foret, jam dudum aegre ferebant Reges nostri, et notum est, quae inde contentiones eos inter et Episcopos orirentur. Joannes I. huic controversiae finem imposuit, et amica quadam transactione habita aer. 1444. ann. 1406. cum Episcopo D. Aegidio *(Gil)* plenum civitatis dominium nactus fuit. Roder. a Cugna *Catal. Episcopor. Portuens.* 2. p. cap. 24. pag. 148. et seq.

(*d*) Habitum fuit Olisipone 14. Aug. aer. 1423., ann. 1385. Hujus amplissimi Ordinis Decreto inter alia prohibitae fuerunt 1) praestigiae, incantationes, maleficae artes, funebres neniae, et id genus alia, quae superstitionem redolent: 2) jussum fuit, ne strenae, cantilenae Januariae, Bacchanalia, et *Maialia* celebrarentur: 3) ut nemo pretio conductus lugubrem ejulationem, seu fletum praeficarum more in funeribus adhiberet: 4) ut matrimonio juncti pellicem non haberent: 5) ut dies festi a Jure Canonico statuti in cap. *Conquestus* ult. X. *de fer.* custodirentur. Senatusconsultum integre ex Olisiponensis Senatus tabulario exhibet Josephus Soar. Silv. in *Memor. Joann. I.* tom. 4. Document. n. 37. Cave tamen existimes Lusitani Senatus cujuscumque eamdem vel hodie esse, vel olim fuisse auctoritatem, ac Romani.

Digitized by Google

## *Et Oduardi Regis.*

§. LXIX. Eodem anno legem ipsam *Mentalem* Oduardus Rex authentice fuit interpretatus, et dubia quaedam circa illius intellectum resolvit. Antiquarum praestationum, et numorum nomina, valoremque declaravit. Leges suorum decessorum in unum codicem ad mentem Joannis I., magni parentis, redigere, sed incassum curavit; perbreve namque illius imperium fuit: et librum cedro dignum scripsit: *De Regimine Justitiae, ejusque Officialibus*; qui in Regia Supplicationis Domo magna cura servatur.

Quae sit lex *Mentalis*, et qua occasione lata, ex illius historia speciali, quam suo loco (Inst. Jur. Civil. Lusit. lib. II. Tit. III. a §. XIX.) dabimus, constabit. Oduardus eam ad mentem Joannis I. edixit anno 1434., eique decem et quinque capita, seu authenticas interpretationes adjunxit, quae habentur Ord. Emman. lib. 2. tit. 17., Philippin. tit. 35. Forales autem leges jam inde a Regni primordiis datae cum pensiones pro valore numi, qui tunc obtinebat, explicarent, isque pro diverso tempore multum variaverit, et hac de causa innumerae lites et contentiones orirentur, Joannes I., Oduardus, et Alphonsus V. specialibus legibus apud Alphonsinum, et Emmanuelinum Codicem lib. 4. tit. 1., itemque Sebastianus 27. Jun. ann. 1558., 16. Octobr. 1550., 11. Jul. 1560., 22. Octobr. 1566. apud. Leon. 5. p. tit. 8. ll. 1. 4. 5. 6. antiquorum numorum, et pensionum nomina, valoremque aestimarunt. De re monetaria et censuali veterum Lusitanorum inter alios scripserunt Emmanuel Sever. de Far. *Not. Portug.* Disc. 4., Castrus *Mapp. Portug.* tom. 1. p. 1. cap. 12., Barbosa ad Ord. lib. 4. tit. 21. n. 8. et seq., Sous. *Histor. Geneal.* tom. 4., Antonius Aug. lib. 2. *Emend.* capp. 7. 8. 9. 10. apud Ott. *Thesaur. Jur. Civ.* tom. 4.

## *Alphonsinus Codex.*

§. LXX. Codex vero Patriarum Legum, sub Joanne I. et Oduardo institutus, sub Alphonso V. opera et studio Petri, Portugaliae

Digitized by Google

Infantis, qui illius nomine Regnum tenebat, in lucem tandem prodiit, a quo, veluti fonte, posteriores omnes Codices manarunt.

Joannes, hujus nominis primus, Lusitanarum Legum Codicem, magnum sane opus et arduum, Joanni Mendesio, Curiae Praetori, injunxit. Eo regnante cum nihil actum esset, Oduardus eamdem provinciam eidem demandavit; quo mortuo, eam commisit Roderico Fernandio, Juris Doctori, et Regis ipsius a Consiliis. Perbreve Oduardi imperium fuit, et nihil sub eo actum. Quare Alphonso V. demum regnante, seu potius Petro Infante illius nomine, dictus Rodericus Fernandius inchoatum opus consumavit, et Codex Alphonsinus absolutus tandem fuit. Constat quinque libris: quorum 1.° agitur de Magistratibus, et eorum Officialibus: 2.° de Juribus praesertim Majestatis: 3.° de processu judiciali: 4.° de contractibus, et ultimis voluntatibus: 5.° de delictis et poenis. Et huncmet ordinem in posterioribus Emmanuelis et Philippi Codicibus servatum fere videmus: in eo autem ab eis differt, quod leges decessorum Regum ad rem adtinentes ordine chronologico (si primum excipias librum) Alphonsus fere refert, easque ad finem cujusvis tituli vel confirmat omnino, vel quibusdam additis, vel detractis. Et hic est ordo, series, et complexus Alphonsini Codicis, quo carere Jureconsultum Lusitanus vix, ac ne vix quidem potest: egregie enim facit ad hodierni, novi, novissimive Juris intellectum. Vide Ordinationem Alphonsinam (quae nunc primum edita fuit Conimbricae typis Academicis ann. 1792.) §. 1. in Praef. ad lib. 1., itemque Damian. Goes. *Chronic. Emm. Reg.* 4. p. cap. 86., Sous. tom. 1. *Prob. Histor. Genealog.* pag. 545. et 558. Novissimis Academiae Conimbricensis Legibus lib. II. tit. III. §. X. n. 4. Professoribus Historiae Juris Civilis demandatur, ut historiam utriusque, Oduardi scilicet et Alphonsi, Codicis seorsum exponant. At si nullus Codex Oduardi exstitit, ab illo Alphonsi diversus, Professores ab hac lege servanda soluti sunt.

### *Alphonsi V. leges non nullae.*

§. LXXI. Antiquissimam ac providentissimam *amortizationis* legem confirmavit anno 1447. (§. LV. Not.): *Mentalem*, ab Oduardo parente in

Digitized by Google

lucem editam, declaravit Ord. Lib. 2. tit. 35. §. 27. Clericis, et similibus, qui Jure Regni fori privilegio gaudent, de criminibus suis convictis, de iisque in judicio ecclesiastico vel plane absolutis, vel non, ut, par est, punitis, munera, officia, clientelas, jurisdictiones, cetera, quae ex Regia munificentia habuissent, privilegia ademit, Ord. lib. 2. tit. 3., Emman. tit. 2., Alph. lib. 3. tit. 15. §. 27. Judaeis, qui propriam Sectam, et Judaicam perfidiam ejuraverint, inter alia benigne concessit, ut possent in legitimam, vivo adhuc parente, succedere; iis vero capitis poenam imposuit, si a Christi fide, quam semel professi fuerant, vel latum unguem defecerint, quae omnia jam multo antea erant ab Alphonso II. sapientissime constituta, Ord. Emman. lib. 2. tit. 42., Alph. lib. 2. titt. 79. 95. Et denique receptam Regni consuetudinem, ne Reipublicae munera, et Justitiae officia hereditaria essent, Conimbricae in Comitiis ann. 1473. firmavit.

Regni hanc consuetudinem capite sexto Comitiorum Conimbricensium anno 1473. editorum Populus universus adlegavit, et ab Alphonso V. supplex, ut eamdem firmaret, obtinuit. Joannes II. eamdem adprobavit cap. 27. Comitiorum Eborensium 12. Novembr. ann 1481., Emmanuel Ord. lib. 1. tit. 76., Joannes III. 17. Jun. 1533., Philippus II. Ord. lib. 1. tit. 99. in princ., Philippus III. 26. Octobr. 1607., Joannes IV. 15. Febr. 1643., Josephus I., Rex Fidelissimus, 22. Decembr. 1761. tit. IV., et ultimo tandem providentissima lege 23. Novembr. 1770. Hae vero cum ita essent antiquae Regni leges, et consuetudines, quas scilicet ipsamet officiorum natura, et munerum publicorum ratio exigebat, importent enim propriam uniuscujusque industriam, quae alia in filio, alia in parente esse solet, mirum profecto videri debet, quod Alvarus in primis Valascus tom. II. *Cons.* 129. *n.* 13., bonus alioquin Lusitani Juris interpres, et reliqua Pragmaticorum turba scribere non dubitarint, filios in officia parentum, veluti in hereditatem quamdam, succedere. Sed nimirum hos in errores incurrant necesse est, qui in jure

tradendo

Digitized by Google

tradendo illius historiam, chronologiae, temporumve rationem negligunt. Vide omnino Sebastianum Caesarem de Menezes in libello *Summa Politica* tit. III. cap. V. edit. Amstelod. ann. 1650. Concordiam quoque Alphonsus, et Regni Antistites habuerunt anno 1445., apud Gabr. Per. p. 1. *de Man. Reg.* pag. mihi 407. Continet quindecim articulos.

## *Joannis II. leges.*

§. LXXII. Joannes II., qui, tot rebus domi militiaeque praeclare gestis, *Perfecti Principis* nomen jure meritoque obtinuit, Supremam Palatii Curiam (*Desembargo do Paço* adpellamus) instituit: sericorum vestimentorum usum prohibuit: Praetores, et majores Magistratus e Jureconsultorum tantum ordine ad provincias regundas mittere consuevit (§. LXV. Not.): Regni Optimatibus jurisdictionem criminalem ademit, Regios Administros in eorum terras immisit, novumque eis *homagii*, et clientelae jusjurandum statuit.

Vid. Ord. Emman. lib. 1. tit. 55. §. 4., Roder. de Pina capp. 5. et 25., Garc. Resend. in *Chronic. Joann. II.* capp. 27. 28. 31. 64., qui *homagii* jusjurandi formam exhibent (Inst. Jur. Crim. Lusit. Tit. I. §. XX.), Emman. Telles. March. Alegret. *de reb. gest. Joann. II.* pag. 66. et seq., D. Franc. Emman. *Epanaphor.* I. pag. 27., Petr. Maris. *Dialog. var. Histor.* Dialog. 4. capp. 10. 11. 12., Far. *Europ. Portug.* tom. 2. p. 3. cap. 4. Nn. 18. 19. et seq. Regnavit quatuor supra decem annos: obiit 25. Octobr. 1495. Eodem regnante Laurentium a Fonseca, Curiae Praetorem, Alphonsinum Codicem in unum volumen, seu librum redegisse fertur. Barbos. *Biblioth. Lusit.* verb. *Lourenço da Fonseca*, Sous. *Histor. Genealog.* tom. 1. *Probat.* pag. 558. De Palatii Curia, quam Joannes II. instituit, vel ad novum ordinem reduxit, vide inter ceteros, Lim. *Geograph. Histor.* tom. 1. cap. 5.



Digitized by Google

## *Civilis et Canonici Juris his temporibus usus.*

§. LXXIII. Hac temporis periodo, quae centum et ultra annos complectitur, cum Juris Civilis studium ubique ferveret, et Accursium, Bartolum, aliosque, tamquam luminaria magna, antiqui adorarent, non dubito, quin Romani et Canonici quoque Juris usus in dies magis, magisque in Lusitania regnaret (§§. LXII. LXIII.).

Juris Romani, Accursii et Bartoli auctoritatem saeculo XIV. Joannes ab Aregis multum promovit atque adauxit, cum Justiniani Codicem Lusitane vertit, eique eorum non nullas interpretationes adjunxit (§. LXVII.). Et hinc potissimum originem suam duxit Ordinatio Alphonsina lib. 2. tit. 9., Emmanuelina lib. 2. tit. 5., Philippina lib. 3. tit. 64., quae tantum Romanis Legibus, et Glossae, Bartolique opinionibus honorem deferunt, ut vim et potestatem legis eis adtribuant. Quod profecto, si hoc tantum saeculo obtinuisset, mirandum non esset; nota enim sunt, quae his temporibus de Glossatorum in foro imperio non illepide tradit Raphael Fulgosius ad l. 6. Cod. *de obligat. et action.*: *Et nostis quanta sit auctoritas glossatoris. Nonne dixit heri Cynus glossam timendam propter praescriptam idololatriam per advocatos, significans, quod sicut antiqui adorabant idola pro Deis, ita advocati adorant glossatores pro evangelistis? Volo enim potius pro me glossatorem, quam textum. Nam si allego textum, dicunt advocati diversae partis, et etiam judices:* Credis tu quod glossa non ita viderit illum textum sicut tu, et non ita bene intellexerit sicut tu? *Ego recordor, et istud sit pro novo, quod, dum essem scholaris, eram satis acutus, et, dum semel essemus multi socii in una collatione, ausus fui unum textum adlegare contra sententiam doctoris mei: tantam audaciam habui. Dixit unus socius.* Tu loqueris contra glossam, quae dicit sic: *Et ego respondi:* Etsi glossa dicit sic, ego dico sic: *ignarus auctoritatis glossatorum; credebam enim quod essent speciales appostillae, quae sunt in libris grammaticae, sicut super Virgilio et Ovidio: sed tamen non ita est. Fuerunt enim glossatores maximae scientiae viri, et auctoritatis. Si aliud non esset, quam glossarum ordinatio! Et de quibus potest dici id, quod arbitror de nullo dici posse, videlicet, quod totum*

Digitized by Google

*corpus juris viderunt? Magis ergo standum est eis, qui viderunt, quam nobis, qui non vidimus.* At meliori saeculo, excussis tenebris, et Cujaciana Schola restituta, cum posteriores Regni Ordinationum editiones sub Philippo II. et III., Joanne IV., Petro II. et Joanne V. in lucem prodierunt, quod in earum Codicem similem legem perpetuo insertam videamus, id ipsum est, quod mirari satis non possum, nec a me impetrare, quin existimem illius repetitionem non casu, sed de industria ad civium jura, omniaque miscenda factam fuisse. Haec tamen interea; paulo namque postea opportunior de his erit dicendi locus (§. CVII. h. lib., Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. I. §. X.). Juris vero Canonici in Lusitania usum satis inter alia hoc aevo monumenta ostendit Senatusconsultum Olisiponense habitum anno 1965., de quo supra meminimus (§. LXVIII. d).

# CAPUT VIII.

## DE JURE LUSITANO AB EMMANUELE AD PHILIPPORUM DOMINATIONEM.

### *Emmanuelis Regis Codex.*

§. LXXIV. Praecipua haec est Lusitanae Jurisprudentiae periodus. Jam antea Alphonsus V., ut supra diximus (§. LXX.), seu potius Petrus, Portugaliae Infans, quando illius nomine clavum Regni tenuit, in unum Codicem jus universum Lusitanum redegerat. Cum vero multae postea leges accessissent, neque praeterea Alphonsinus Codex ea esset arte elaboratus, ut Patrii Juris systema exhiberet, Emmanuel, saeculis omnibus memorandus Princeps, operam dedit, ut novus alius, novo prorsus ordine, et concinniori methodo digestus, in lucem prodiret.

Quando primum prodierit Emmanuelis Codex, quinque etiam libris constans, mihi dubium omnino est atque incertum. Antiquissimus, quem vidi, in duos tomos divisus, in publico Regni tabulario adservatus, integer quidem editus est a Joanne Petro Bonhomino Olisipone ann. 1514., liber scilicet primus die 30. Octobris, liber secundus 15. Decembris, liber tertius 11. Martii, liber quartus 24. Martii, liber quintus 28. Junii. In fine enim cujuslibet libri et dies, et annus, et editoris, et correctoris nomen declaratur. Haec ita se habent, sive inde conjiciamus posteriores libros secundo tomo comprehensos ante primos fuisse typis mandatos, sive malimus horum tomorum alterum ad alteram editionem spectare, cujus libri non exstantes forte perierint. Illud equidem certum est, editionem istam ibidem dici *novam*, ex quo aliam praecessisse videtur; et dici quoque a Doctore Ruy Boto, Regis a Consiliis, et Regni Cancellario *recognitam* atque *correctam*: quae verba, ut ut aliter adcipi possint, huc tamen non incommode trahuntur. Has editiones, si forte plures fuerunt, aliae exceperunt, in quibus tamen aliqua immutata additaque ostenduntur.

In novissimis Conimbricensis Academiae Statutis lib. II. tit. III. cap. IX. §. X. n. 4. statuitur ac decernitur hujus Codicis librum primum ac secundum anno 1513. prodiisse, reliquos vero anno demum 1521.

Id minus recte. Illis enim, quae dicta sunt, hoc addi potest, nullam aliam anno 1521. editionem adparere praeter illam Jacobi Crombergeri, Germani (qua quidem ego utor). Haec tamen editio tota confecta fuisse videtur anno 1521., et absoluta die 11. Martii, ut in fine quinti libri declaratur. In quatuor prioribus dies similiter et annus profecto non declaratur, sed editoris nomen tantummodo, ac editionis locus, Ebora nimirum in primo et quarto, Olisipo in reliquis. Fieri tamen non potest, ut priores duo prodierint anno 1513., id quod vel ex tit. 37. in fin., et tit. 47. in princ. lib. 2. manifeste demonstratur, in quibus quidem titulis leges compilantur, quae anno demum 1520. fuerunt promulgatae, uti ibidem adnotatur, et quae propterea non inveniuntur, nec inveniri possent in editione illa anni 1514.

Haec de editione Crombergeriana, quae exstat. Si ulla vero exstitit ante illam Joannis Petri Bonhomini, quod

Digitized by Google

certo adfirmare non audeo, fieri quidem potest, ut ab eodem Crombergero curaretur. Eum enim ab Emmanuele Rege ad hoc ipsum fuisse arcessitum, ut ejus scilicet Codicem typis mandaret, idque aliquot annos antequam is a Bonhomino editus esset, satis constat vel ex ipsius Regis Diplomate Scalabi dato 20. Febr. ann. 1508. quo et ipsi, et omnibus nobilem typographicam artem exercentibus, sub non nullis conditionibus ibidem expressis, quivis Equitum Regiae Domus honores ac privilegia conceduntur, licet equum et arma secundum Regni Constitutiones non haberent. Exstat hoc Diploma in Regio Olisiponensi scrinio, referturque a Francisco Leitano Ferreira *Notit. Chronolog. Acad. Conimbr.* pag. 118. n. 288. et seq., et apud Sous. *Histor. Geneal.* tom. 4. p. 134.

Porro ex Osorio *de Reb. Emman.* lib. IV. n. 3., Damiano Goesio in *Chron.* p. 1. cap. 94., et aliis satis constat anno 1505. Emmanuelem Regem leges multas vetustis legibus addidisse, et antiqua instituta correxisse; quod perinde est, ac Legum Codicem reformasse, novumque edidisse. Quod si arduum istud opus totum ferme illius Regni tempus absumpsisse ait Goesius loco citato, id ita intelligendum, hunc Codicem in singulis editionibus per totam Emmanuelis vitam auctum semper fuisse atque correctum; quod manifestum est ex illa, quae anno 1521., postremo ejus vitae, prodiit.

Isti autem alia successit per Germanum Galhardum Olisipone 27. Jul. ann. 1526.: huic alia per Joannem Crombergerum Hispali ann. 1539., et alia denique Olisipone per Emmanuelem Joannem 3. Mart. ann. 1565. (Postrema editio est, quae prodiit Conimbricae typis Academicis ann. 1797. 4.° 3. vol.)

## *Illius Auctores.*

§. LXXV. Hujus Codicis Auctores qui fuerint, non constat: conjicere tamen licet operam eidem digerendo navasse Doctores Joannem Cotrinum, Joannem Fariam, Petrum Georgium, et Christophorum Estevium, sub Emmanuele Rege Senatores.

Digitized by Google

Eorum meminit Emmanuelis Codex in fine libri quinti editionis Crombergerianae, tantumque eis honorem defert, ut ipsimet Codici auctoritatem prorsus adimat, si non prius fuerit ab eisdem subscriptus. Jam Emmanuelis tempore Cancellarius Maximus leges in Suprema Regni Cancellaria publicabat, easque sigillo suo munitas ad Provinciarum Praetores remittebat, ut habetur illius Ordinatione lib. 1. tit. 2. §. 9. Hoc vere munere cum haud fruerentur praefati Senatores, conjicere non omnino inepte possumus, eos celeberrimi hujus, quem subscripserunt, Codicis Architectos fuisse, vel illius saltem ordinationi opera et studio adfuisse.

*Contextus, et ordo libri primi*,

§. LXXVI. Integrum juris patrii systema, licet non ubivis perfectum, exhibet Emmanuelis Codex. Primo libro recensum Magistratuum Lusitanorum, et eorum Officialium instituit, illorumque nomina, functiones, munera officiaque declarat, videlicet, Rectoris Domus Supplicationis, Cancellarii Maximi, Senatorum Domus Regiae, Supplicationis, Insularum, Praetorum Regiae Urbis cum Civilium, tum Criminalium, Auditorum Reginae, Procuratorum Regiarum Causarum, publici Domus Supplicationis Delatoris, Cancellariae Scribae, Adparitoris Maximi, Aedilis Maximi, Orphanorum Judicis, Curatoris absentium bonis dandi, et aliorum plurium, quos longum esset referre. Multi tamen tituli hoc libro fugitivi inveniuntur, veluti 26. 38. 47. 48. 57. 75. 76. 78. qui ab ordine, quem sibi Emmanuel proposuit, absunt quam longissime.

Emmanuelis Codicis Architecti eumdem fere ordinem libro primo tenere videntur, quem Tribonianus, et socii in Pandectarum quoque libro primo sibi proposuerunt, in quem, praemissis generalibus quibusdam juris principiis, et brevi illius historia, de diversis Romanorum Magistratibus, eorumque juribus diversis duo supra vi-

Digitized by Google

ginti speciales titulos retulerunt. Et vel ex hoc uno intelligi potest, quam multa ex Jure Romano mutuarint.

*Secundi*,

§. LXXVII. In secundo libro propositum fuit ejus auctoribus edisserere I.) de diversis in jure litigatoribus, et ubi quis agere, et conveniri debeat, sive Laicus, sive Clericus, sive Episcopus sit: II.) de juribus Regalibus, de bonis Regiae Coronae, eorumque successione, de Reginae, Principum, Senatorum, Antistitum, Optimatum, Equitum, Agricolarum, et Ecclesiarum juribus ac privilegiis. Ab hoc tamen scopo et fine alieni fugitivive sunt tituli 7. 8. 9. 10. 22. 28. 30. 35. 37. 41. 42. 48. 49. 50., quo liber secundus clauditur.

*Tertii*,

§. LXXVIII. Libro tertio forensis jurisprudentia perquam nitidissime exponitur, multa namque ibidem constituta legimus de vocatione in jus, de iis, qui in judicium vocari non possunt, qui vadimonium deserunt, et in judicio praestituta die non compareat, de Procuratoribus, et eorum officio, de judiciorum cautionibus, de Judicum, Scribarum, et aliorum recusationibus, de reconventionibus, feriis, et arbitris, de calumnia, in litem, et *suppletorio*, ut adpellant, jurejurando, de dilatoriis, peremptoriisve exceptionibus, de litis contestatione, de testibus, et eorum refutationibus, de sententiis cum interloquutoriis, tum definitivis, de expensarum condemnatione, de adpellationibus, quando] adpellare non est necesse, et quod, adpellatione pendente, nihil innovetur, cet.

Cum judicium, definitore Aristotele *Ethicor*. lib. 5. cap. 10., nihil aliud sit, quam κρίσις τοῦ δίκαιου καί τοῦ ἀδίκου, hoc

Digitized by Google

est, *justi et injusti decisio*, mirum non est, cum unusquisque in suo sensu semper abundet, quantum in hujus decisionis instituendae ratione homines variaverint, et quam diversus apud unum, eumdemque Populum pro diverso tempore fuerit judiciorum ordo. Neque in hac causa Romanos, superstitiosissimum genus hominum, adpellare necesse est satis enim nota sunt, quae de illorum diversis judiciis inter alios tradiderunt Carolus Sigonius, Franciscus Robortellus *de jud. et omn. consuetud. caus. agend. apud Roman.* tom. 3. Graev. *Thesaur. Antiq. Romanar.*, Basil. Kennett *Antiquit. Rom.* Anglice script. 2. p. lib. 3. capp. 17. et 18., et Ant. Henr. Van Hees Dissert. *de iis, quae antiquitus apud Roman. inter litigator. ante lit. contest. fieb.* apud Fellemberg. tom. 1. *Jurisprud. Antiq.* pag. 491.); namque vel soli Lusitani nostri huicce rei argumento esse possunt. Initio, cum Scribarum et Tabellionum apud nos nullus usus esset, unusquisque, vel alter ad alterius petitionem testamentorum et transactionum instrumenta privatim conficiebat: de eisdem vero lites ortas boni honestique viri, non judices publica auctoritate constituti, ex bono et aequo dirimebant. Praetores postea Provinciarum, quos immensa lictorum et adparitorum turba, cum Provincias peragrarent, sequebatur, et Supremus quidam Magistratus, quem *Sobrejuiz* adpellabant, contentiones in secunda veluti *instantia* decidebant. Hi vero, quod jam monuimus (§. LXV. Not.), initio non erant ex Jureconsultorum, sed ex honestiorum hominum numero. Adcesserunt postea Conventus Juridici, Scalabi primum, et Olisipone demum instituti, et singulis locis Regni celebrioribus judices praepositi, qui principio, paucis admodum solennitatibus adstricti, extra ordinem, ex praescripto tamen legum, quae perbreves erant et simplicissimae, jura dicebant. Studium Juris Romani, illius solennitates paulatim in foro receptae, tandemque Jus Canonicum, non sincerum illud et germanum, sed degener, et sequiori tempore adinventum, quale scilicet in Decretalibus exstat, ex quarum nimirum libro secundo, tamquam a fonte quodam manarunt, quae in Emmanuelis Codicis libro tertio habentur, hanc οἰκονομίαν turbarunt (Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. II. §. XIII.). Haec interim: plenius hac de re suo loco disseremus (Inst. Jur. Civil. Lusit. Lib. IV. Tit. VII. §. VI. et sequentib.).

Digitized by Google

*Quarti et quinti.*

§. LXXIX. Liber quartus testamentorum et conventionum jura declarat: nam I.) contractus exponit venditionis, locationis, donationis, societatis, fidejussionis, cet.: II.) De testamentis ordinandis agit, et de inofficiosi testamenti querela: III.) De filiorum, parentum, fratrum, et aliorum ab intestato successione. Huic tamen ordini minime respondent tituli 39. 49. 50. 51. 52. 53., et alii non nulli. Liber quintus Jurisprudentiam Criminalem absolvit. Continet 113. titulos, qui magis inter se cohaerent.

*Aliae Emmanuelis leges,*

§. LXXX. Omnibus fere Regni civitatibus ac locis *forales* leges dedit (*a*). Ecclesiasticos, et Christi Militiae Equites plurimis ornavit privilegiis (*b*). Concessit, ut Regni Optimates, ceterique viri nobilitate praestantes Portuensi in civitate, quamdiu vellent, quod antea interdictum erat, morarentur (*c*). Plures Judices, quos *de fóra* nominamus, quia scilicet foris ad causas judicandas adsumuntur, in civitatibus oppidisque insignioribus creavit, ratus ad munus tantum obeundum idoneos non esse ab eodem loco oriundos. Librariis, Scribis, Amanuensibus, ceteris, qui in Diplomatis, alicujusve instrumenti summa substantiam negotii occultant, vel non propalam faciunt, exsilii in D. Thomae insulam poenam imposuit lege Olisipone lata anno 1516. Capellis, nosocomiis, confraternitatibus, et residuis Regimen dedit 27. Septembr. 1514.

(*a*) Cum innumerae circa *foralium* legum interpretationem Emmanuelis tempore lites oriruntur, id negotii Rex

invictissimus Ferdinando de Pina dedit, ut eas in bona luce collocaret: qui postquam Regnum universum peragravit, antiquas tandem forâles leges multo quidem, quam antea, clarius ac dilucidius in quinque, secundum Provinciarum numerum, digessit libros. Sed tantae molis opus citius, quam illius magnitudo postulabat, absolvit Pina, ne praemium eidem praefinitum, si intra certum tempus rem perficeret, amittere contigisset, Ord. lib. 2. tit. 27., Emman. eod. lib. tit. 45., Faria *Europ. Portug.* tom. 2. p. 4. cap. 1. n. 19., Damian. Goes. *Chron. Emman.* 1. p. cap. 25. Quare easdem hodie lites et contentiones suscitantur, et digna profecto haec res est, quae iterum publica auctoritate instituatur. Verum haec Deo curae erunt.

(*b*) Cum Caesaraugustae (*Çaragoça* adpellatur) Rex esset, Ecclesiasticos a *gabella*, et aliis oneribus exemit 1. Aug. ann. 1498.: quod privilegium postea ad Christi Militiae Equites protraxit 28. Jan. ann. 1504., Far. loc. cit. n. 26., Goes. cap. 31. Habetur in Collectione Oduardi Nonii Leonis 5. p. tit. 2. ll. 12. 13.

(*c*) Portuensis civitas privilegii loco habebat, ut ibidem non nisi biduum, aut triduum Regni Optimates, ceterique viri nobilitate opibusque multum praestantes commorarentur, quod, si revera privilegium est, Emmanuel revocavit ann. 1503. Cugn. *Catal. Episcopor. Port.* 2. p. cap. 32. pag. 280., Goes. *Chron. Emman.* 4. p. cap. 86.

## *Et Joannis III.*,

§. LXXXI. Joannes III., magni Emmanuelis filius, parentis Codici multiplices leges addidit. Decrevit, ut Judices *Ordinarii* gratis judicarent, eisque prohibuit pecuniam a litigatoribus vel ea etiam de causa recipere, quod Jurisperitos adire et consultare cogerentur, Dipl. 16. April. 1524. apud Leon. 1. p. tit. 18. l. 1., Ord. lib. 1. tit. 65. §. 10.: Praetoribus, et Auditoribus Provinciarum novam regiminis formam dedit 14. April. eod. ann., ibid. tit. 17. l. 1.; novam quoque ann. 1534. Cancellario Regni Maximo, Domus Supplicationis, et Judici Cancellariae, ibid. titt. 1. 2. 3. l. 1. Supremam

Digitized by Google

*Conscientiae*, ut adpellant, et Equestrium, Militariumque Ordinum Curiam instituit. Fidei Quaesitorum tribunal creavit, et, ut illorum jussa rogationesve Regum Magistratus adimplerent, generali lege 20. Novembr. 1536. sancivit, apud Leon. 2. p. tit. 2. l. 12., Ord. lib. 2. tit. 6. (Inst. Jur. Crim. Lusit. Tit. II. §. XI.). Alium judiciarium ordinem 5. Jul. ann. 1526. definivit. Et Academiam Olisipone a Dionysio fundatam ann. 1288., ab ipsoque in Conimbricam ann. 1308., et a Ferdinando iterum ad Olisiponem translatam ann. 1375., denique ad Conimbricam transtulit ann. 1537.

Has omnes, et plures alias Joannis III. leges, quas consulto omittimus, ne longius, quam par est, progrediamur, exhibet Oduardus Nonius Leo in sua Collectione. Joannis Ordinatio de novo judiciario ordine exstat non modo apud cit. Collect. 3. p. tit. 1. l. 7., sed ad literam fere descripta invenitur apud Ordinationem lib. 3. tit. 20., cui conjungendus est titulus 15. eod. lib. Emman. Cod.

### *Et Sebastiani.*

§. LXXXII. Sebastianus Rex, meliori fortuna dignus, iis, quae in Emmanuelis Regis Codice lib. 1. tit. 3. de Supremi Palatii Senatoribus scripta erant, alia non nulla adjecit, et novum eis regimen dedit 2. Novembr. 1564., apud Leon. 1. p. tit. 4. l. 1. Idem Provinciarum Praetoribus concessit, ut possent ad Officia, vacantia, quos vellent, interim nominare, Dipl. 23. Octobr. 1564., apud Leon. 1. p. tit. 39. l. 3., Ord. lib. 1. tit. 97. §. 3. Decrevit, ne testium instrumenta, sed eorum tantum nomina Scribae litigatoribus, illorumve Procuratoribus darent, Reg. Resolut. 15. Jul. 1560. apud Leon. 1. p. tit. 22. l. 13., Ord. lib. 3. tit. 58. in princ.

Digitized by Google

## *Singularis ejusdem Concordia.*

§. LXXXIII. Concordiam Sebastianus, et Regni Antistites habuerunt 18. Martii ann 1578. Contentiones jam saepius repetitas, ac saepius decisas Episcopi semel et iterum ad Sebastianum, feliciori tamen, quam antea, successu, detulerunt; ab eo namque ea impetrarunt, quae diuturno tempore eisdem fuerant constantissime denegata.

Concordiam Sebastiani Regis exhibet Pereira *de Man. Reg.* p. 1. pag. mihi 419.. continet duodeviginti articulos. Eadem itaque Sebastianus, et legibus non nullis ab eodem latis apud Oduardum Nonium Leonem in sua Collectione 2. p. tit. 2. l. 13., et 4. p. tit. 12. l. 5. Ecclesiasticis nova privilegia concessit. Nam Laicos in judicio ecclesiastico conveniri concessit super Ecclesiae emphyteusi. Decrevit, ne possent Aediles, ceterive Magistratus fructus Praebendarum, et Paroeciae, cum eos ipsi Ecclesiarum Rectores administrant, quovis praetextu detinere, vel, ne de uno ad alium locum efferantur, impedire. Ecclesiasticis Laicos per suos adparitores capiendi jus dedit. Regiis Magistratibus praecepit, ut exactiones ab Episcopis, eorumve Vicariis pro reparandis Ecclesiis praefinitas exsequantur, eisque de illarum imponendarum ratione, causa, et necessitate judicium, omnemque prorsus cognitionem ademit. Eadem puniri poena jussit, qui Regiis Administris, atque Ecclesiasticis vim et injuriam inferrent. Et denique Concilium Tridentinum non modo in iis, quae ad dogma spectant, prout Christianum Principem decet, sed in mere civilibus et temporalibus, nullo penitus rerum discrimine habito, custodiri jussit legibus 12. Septembr. 1564., et 8. April. 1569. latis, apud novam Leg. Extrav. Collection. ad lib. 2. Ord. tit. 1. N. 1., et apud Leon. 2. p. tit. 2. l. 13., Barbosa *Memor. Sebast.* tom. 2. lib. 2. cap. 3. n. 19., et tom. 3. lib. 1. cap. 17. De Tridentini vero generali in Lusitania adprobationis et receptionis causa, a quo fonte ea manarit, qui illius effectus, quive illius auctores fuerint, adeatur *Deductio Chronologica et Analytica* 1. p. Divis. 4. §§. 77. 78., et Divis. 5. §§. 123. 125. 128. 129. 130. 131. et 132. Celebris autem Sebastiani Regis Concordia habita in primis fuit consilio Pauli Alphonsi et Petri Barbosae, prout tradit Pereira p. 1. *de Man. Reg.* pag.

Digitized by Google

mihi 418. Jam vero qui hos homines intus et in cute cognoverit, qui utriusque mores, genium, literaturam, et tristissimi illius temporis rationes cognitas ac bene perspectas habuerit, non mirabitur profecto, quod tam multa, eaque singularia Ecclesiastici illorum ope et consilio obtinuerint. Nec quemquam speciosum insignis Jureconsulti, quod Barbosa adeptus fuit, nomen turbare debet: quia non germanus Jureconsultus, sed insignis tantum Bartolista, et insignis atque egregius adsentator erat (§. XCIII. Not.).

## *Nova sub Sebastiano Patriae Jurisprudentiae facies.*

§. LXXXIV. Ex hac tam liberalissima Sebastiani Regis Concordia, et ex aliis multis ejusdem legibus, quas referre necessum non est, multi in Patriam Jurisprudentiam naevi irrepserunt. Novam vero hanc illius faciem non mirabitur, qui et Regis infelicissimi educationem noverit, et quam praeterea infirmum ejus esset sacrosanctum intimumque Consilium.

Sane in hunc infortunatum Principem non male quadrare videtur id, quod olim dictum fuit de Alexandro Magno, eum scilicet a natura virtutes habuisse, vitia a fortuna. Revera enim Sebastianus a natura multis virtutibus praeditus erat, vitia autem non a fortuna, sed a prava educatione adcepit, quam nimirum inter alios lamentantur. Fr. Emmanuel a Sanctis *Histor. Sebast.* lib. 1., D. Emmanuel Menoetius illius *Chron.*, Barbosa tom. 4. *Memor. Sebast.*, Oduardus Nonius Leo *de Ver. Reg. Portug. Geneal.*, cet. Illius vero intimum supremumque Consilium quam infirmum esset, leges, eo imperante, latae demonstrant, quae, ut ait Hieronymus Conestaggius *de Portugall. et Castell. conjunct.* lib. 1., *confirmarunt opinionem illorum, qui statuunt homines Ecclesiasticos non esse aptos ad Reipublicae administrationem, non magis quam sint Magistratus civiles ad tractanda ecclesiastica idonei.* Haec igitur pessima Regis institutio, Consilii Status infirmitas, et eorum, qui rerum potiebantur (qui vero ii fuerint, hodie nemo est, qui non videat), ignorantia, ambitio, et per-

Digitized by Google

versitas insignis in causa fuerunt, quod non modo Jus Patrium a pristina majestate declinarit, quod Lusitana Jurisprudentia novam faciem induerit, quodque Reges nostri tot majestati inhaerentia jura dimiserint, sed etiam (proh dolor!) quod Lusitani nominis gloria, quod Regni opes et nobilitas, et quod Rex denique ipse Pius, Magnanimus, Religiosus, Justus, optimae spei et omnium virtutum genere natura formatus in funestissima Alcasarquibirii pugna fatali die 4. August. 1578. juvenili aetate occubuerit.

*Romana hac aetate restituta.*

§. LXXXV. Non eadem hac aetate erat Romani Juris in Lusitania facies. Cum enim, pulsa semel barbarie, humaniores literae apud nos propriam veluti sedem posuissent, non poterat, iis restitutis, Jurisprudentia, quae tam arctissimo cum iisdem societatis vinculo continetur, non restitui.

Quantum nostrates saeculo XVI. literis elegantioribus, Oratoria, Poëtica, Historia, Philologia, Hebraicae, Graecae, Latinae, Lusitanaeque Linguae peritia, et ipsa quoque Theologia, Scientiarum Regina, praestarent, sciunt profecto omnes docti pariter ac indocti. Nam hodie inter nos nemo ignorat Hieronymi Osorii, Didaci Paivae Andradi, Hectoris Pinti, Casparis Barrerii, Jacobi Tevii, Achillis Statii, Andreae Goveani, Andreae Resendii, Jacobi Menoetii Vasconcellii, Damiani Goesii, Garciae Menoetii, Hieronymi Cardosi, Ignatii Moralis, et aliorum praeclara in Republica Literaria nomina. Neque silentio praeterire fas est duumviros doctissimos, ejusdem saeculi ornamenta, Camonium scilicet nostrum, et meum Joannem Barrium (sic enim eum adpello ob sanguinis conjunctionem, quae intercedit me inter et illum ac ejus conjugem Mariam de Almeida, Didaci de Almeida filiam, a Pombalii oppido oriundam), qui post varia, quae obivit, Reipublicae munera, in villulam suam prope Pombalium secessit, ibique in loco, qui dicitur *Ribeira de Alitem*, die 20. Octobr. 1570. obiit Emman. Severin. de Faria *Discurs. Var.* in *Joann. Barr. Vita.* Romanorum vero jurisprudentiam, quae propius ad me spectat, praeter Antonium nostrum Goveanum, Lusitanorum alterum Cujacium, Gallorum illi si non supe-

riorem, certe aequalem, eodem saeculo in Lusitania instaurarunt Emmanuel et Michael a Costa, pater filiusque, Arius Pinellus, Joannes Altamiranus, Ferdinandus Arius de Meza, Oduardus Caldeira, Hecter Rodericius, Emmanuel Soarius a Ribeira, et alii, quorum suo loco (§§. CXIV. CXV.) specialem mentionem faciemus. Sed (quae est rerum humanarum vicissitudo et inconstantia) Jurisprudentia, humaniores artes, et literae fere omnes eodem, quo natae sunt, saeculo perierunt.

## *Collectio Oduardi Nonii Leonis.*

**§. LXXXVI. Eodem tempore in lucem prodiit nova Lusitanarum Legum Collectio, Auctore Oduardo Nonio Leone, in quam vir eximius retulit Emmanuelis, Joannis III., et Sebastiani Regis Leges Extravagantes: eas tamen integre non descripsit, sed illarum tantum summam et sententiam.**

Sebastianus Rex Oduardo Nonio Leoni mandata dedit, ut Extravagantes ab Emmanuelis Regis Codice Leges in unum volumem digereret: quod cum egregie praestitisset Senator eximius, Sebastianus illius Collectioni vim legis adtribuit Regio Diploma 14. Febr. ann. 1569. Eam in sex partes Leo divisit. In prima egit de Officiis, et Officialium regimine: in secunda de jurisdictionibus, et privilegiis: in tertia de ordine judiciorum, et iis omnibus, quae judicium antecedunt, vel subsequuntur: in quarta de criminibus, delictis, et eorum adcessionibus: in quinta de privilegiis, juribus Regalibus, et Fisci: in sexta vero, et ultima Collectionis parte eas retulit leges, quae commode praedicto ordini adcommodari non poterant; et ad calcem denique Operis adcuratissimum Regiarum Emmanuelis Ordinationum indicem subjunxit, quae fuerunt legibus posterioribus revocatae. Sebastiani vero legum specialis Collectio prodiit, a Francisco Correa edita Olisipone ann. 1570. (Utraque denuo prodiit Collectio Conimbricae typis Academicis, illa ann. 1796., haec vero a ann. 1815.)

Digitized by Google

# CAPUT IX.

## DE JURE LUSITANO SUB PHILIPPORUM DOMINATIONE.

### *Codex Philippinus.*

§. LXXXVII. PHilippus II. Castellae, Henrico Cardinale Rege mortuo, Portugalliae Regnum anno 1580. invasit, illudque per duodeviginti annos occupavit. Portuensi in Civitate Juridicum Conventum posuit: Olisipone Consilium Regii Patrimonii instituit: et novum Lusitanarum Legum Codicem celeberrimum ordinavit, qui ab illius nomine *Ordinatio Philippina* nuncupatur.

Hunc Codicem (quo hodie quoque utimur) Philippus statim initio imperii sui meditatus, tandem eum perfecit atque absolvit anno 1595. Verum is non nisi eo mortuo sub Philippo III. in lucem prodiit primum per Petrum Crasbeeckium in Monasterio S. Vincentii Canonicorum Regularium Olisipone ann. 1603. vol. fol.; secundo per Georgium Rodericum ac Laurentium Crasbeeckium ibid. ann. 1636. vol. fol. Idem e duobus Juridicis Conventibus, qui Olisipone erant, alterum in Portuensem Civitatem transtulit, eique regundo praefecit Petrum Guedes, qui novum hoc et amplissimum munus nomine Henrici de Sousa administrare coepit 4. Januar. ann. 1583. Oduard. Non. Leon. *de Ver. Reg. Portug. Genealog.*, Cugna *Catalog. Episcop. Port.* 2. p. cap. 39. pag. 140. (Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. II. §§. VI. et VIII.). Philippus III. pro tota Brasiliae amplissima Provincia Senatum postea quam honoratissimum denuo creavit anno 1609., cui eodem anno Regimen dedit 7. Mart. Coll. I. ad Ord. lib. 1. tit. 5. N. 3. De Consilio Regii Patrimonii, Diplomate 20. Novembr. 1591. instituto, vide Lim. *Geograph. Histor.* tom. 1. cap. 5. pag. 277.



Digitized by Google

*Illius ordo.*

§. LXXXVIII. Eadem fere, quae supra de Emmanuelini Codicis ordine diximus (§§. LXXVI. LXXVII. LXXVIII. LXXIX.), de Philippino dicta volumus: nam in utroque idem est librorum numerus, eadem dispositio, et rerum tractandarum series. Titulos concordantes Codicis Philippini, Emmanuelini, et Alphonsini exhibet tabula in fine hujus libri.

*Non nulla addidit.*

§. LXXXIX. Novos tamen titulos adjecit, veluti in lib. 1. titulum 35., et sequentes usque ad 47., qui ad Senatum Portuensem spectant. Plura quoque ex Emmanuelis, Joannis III., et Sebastiani Extravagantibus legibus hausit, quae vel in novos titulos apposuit, vel antiquis inseruit, videlicet Regium Sebastiani Diploma 2. Mart. ann. 1568. in Ord. lib. 2. titt. 8. et 9.; judiciarium ordinem a Joanne III. definitum 5. Jul. 1526. in Ord. lib. 3. tit. 20.; ejusdem legem de Interamnensis Provinciae testibus non nisi a Judicibus *foraneis*, vel Praetoribus inquirendis 4. Octobr. ann. 1531. in Ord. lib. 1. tit. 86. §. 5., ejusdem Constitutionem de personalibus actionibus sive in eadem, sive diversa provincia 30. annorum spatio praescribendis 4. Febr. ann. 1534. in Ord. lib. 4. tit. 79., cet. Plura quoque antiquis legibus addidit, vel detraxit: nam Emmanuel lib. 1. tit. 1. §. 9. in causis capitalibus praeter judicem designatum quatuor tantum Senatores, Philippus quinque exigit eodem lib. et tit. §. 6. Idem lib. 1. tit. 46. §. 9. municipales leges (*Posturas* dicimus) infirmandi Provinciae Praetori facultatem perpetuo denegavit; Philippus vero eam non nun-



Digitized by Google

quam concessit eodem lib. tit. 66. §. 29. Et haec satis proposito nostro.

Iis quoque, quae de bonorum a Clericis adquirendorum facultate Emmanuel statuerat lib. 2. tit. 8. §§. 9. et 11., Philippus quaedam addidit eod. lib. tit. 18. §§. 5. et 7. in fin. Namque ex Regni antiquis legibus Clerici non poterant, nisi de Regis licentia, stabilia bona adquirere, eamque prius impetrare debebant: Emmanuel Rex invictissimus lib. 2. tit. 8. §. 9. fundos eis habere concessit, et ab onere licentiam impetrandi liberavit; facultatem tamen denegavit Ecclesiasticis quibuscumque hujusmodi bona Monasterio, Ecclesiae, vel Confraternitati donandi inter vivos, aut ultima voluntate; ab intestato vero bene poterant Clerici, Religiosive proximi adgnati, Clerico succedere, dummodo intra annum et diem bona stabilia, in quae successerant, alienarent; quo elapso, sequentis gradus Laici vocabantur, et bona demum fisco adplicabantur, si possessiones hasce et fundos Laici intra sex menses non vindicarent. Haec simplex et providentissima Emmanuelis lex est. Joannes III, Regio Diplomate 6. Septembr. 1553. apud Leon. 2. p. tit. 2. ll. 9. et 10. discrimen statuit inter bona patrimonialia, et intuitu Ecclesiae adquisita, et concessit, ut haec Ecclesiae relinquantur, et ut eadem posset Ecclesia intra annum detinere. Philippus Emmanuelis Ordinationem in lib. 2. tit. 18. §§. 5. et 7. inseruit, et praeterea addidit in fine §phi 5., eam locum non habere in iis bonis, quae jure ad Ecclesiam, Monasteriumve spectant; et in fine §phi 7. adjunxit proximos cognatos consuetudine quadam generaliter recepta Clerico ab intestato succedere tam in bonis patrimonialibus, quam in adquisitis intuitu, seu occasione Ecclesiae: quae omnia certe Philippus hausit ex Jure Canonico, seu potius ex Decretalibus capp. 1. 7. 12. X. *de testam.*, quibus bonorum praefata distinctio, et consuetudo refertur.

*Et nova Ecclesiasticis privilegia concessit.*

§. XC. Ecclesiasticis quamplurima nova et insolita privilegia concessit, eorumque jura multis in locis mirifice auxit contra, vel praeter antiqui Codicis rationem.

Philippus Ecclesiasticis concessit, ut possent Laicos per suos adparitores capere, et pignerari, Ord. lib. 2. tit. 1.

Digitized by Google

§. 13., quod antiquis legibus inauditum erat. Emmanuel lib. 1. tit. 4. §. 7. decreverat; ut nemo posset, quamvis ex numero Senatorum esset Domus Civilium negotiorum (*Casa do Civel*), auxilium praestare decretis et sententiis Judicum Ecclesiasticorum, exceptis dumtaxat Domus Supplicationis (*Casa da Suplicação*) Senatoribus; qui tamen prius debebant hac de re in unum convenire, et de toto negotio serio deliberare. Tantae molis tunc temporis erat Ecclesiasticorum sententiae executioni mandare. Philippus, quod primariis in toga viris, et Supremae Regni Curiae erat jure quodam reservatum, omnibus promiscue concessit Magistratibus, lib. 2. tit. 8. Ordinationi Emmanuelis lib. 4. tit. 32. in princ., quae Clericis, Virisque Patriciis mercaturae usum prohibuit, Philippus eod. lib. tit. 16., ad Clericos quod adtinet, injunxit, quod Regii Magistratus, mercium sequestratione facta, ejusdem acta ad judices Ecclesiasticos remitterent. Emmanuelis Ordinatio lib. 1. tit. 54. §§. 10. 11. 12., et lib. 5. tit. 90. §. 4. Regiis Magistratibus, illorumque lictoribus et adcensis concessit, ut possent in ipsis Magnatum, Episcoporum et Abbatum domibus reos inquirere et capere, atque gravissimas poenas iis injunxit, qui eos occultant, illorumve inquisitionem impediunt. Philippus ipse, qui salutarem hanc legem retulit lib. 5. tit. 104. in princ., et §§. 1. 2. 3., postea, quasi sui oblitus, quod ad Ecclesiasticos adtinet, eamdem revocare videtur in fine ejusdem §. 3. Emmanuelis Codice lib. 3. tit. 75. in princ. generaliter constitutum est, ut pro aere alieno, quod majoratus, aut capellae institutor contraxit, ejusdem majoratus, aut capellae bona vendantur. Philippus eodem lib. tit. 93. in princ. exceptionem ponit in capellis Pontificis, Praelatorumve auctoritate institutis, quia earum bona (hanc nimirum rationem adhibet) jurisdictionis sunt Ecclesiasticae; tamquam si terrena bona, fundi, possessiones, et capellae cujuscumque in civitate institutio quidquam cum Ecclesiae, aut Ecclesiasticorum jure commune haberent. Et denique totus fere quantus est Codicis Philippini titulus nonus lib. 2., itemque §phus 76 et 77. in fin. lib. 1. tit. 62., nova Ecclesiasticorum jura continet, quae fere omnia Philippus ex Sebastiani praesertim Extravagantibus hausit. Et haec satis indicasse sufficiat, ne in immensum libellus hic noster excrescat.

*Ordinationes in eo antinomicae.*

§. XCI. Multa praeterea habentur in hoc Codice ab Emmanuelino temere, inconsiderateque, ac oscitanter desumpta, quae nimirum licet analoga, congruaque essent ceteris in eodem Emmanuelino comprehensis, recentioribus tamen institutis minime conveniebant: non nulla proinde ibidem inveniuntur omnino otiosa, non nulla inter se contraria et repugnantia. Compilatores enim nullo delectu, aut discrimine colligentes et jus Emmanuelini Codicis, et novum Extravagantium, quo multa correcta, immutataque fuerant, tamquam Plautinus ille cocus, jura diversa, et inter se opposita ita commiscent et confundunt, ut nullo pacto possint sibimet ipsis conciliari.

Hujus negligentiae non nulla exempla indicare non ab re erit.

1. Ex Ordinatione Philippina lib. 1. tit. 9. §. 13., et tit. 40. in princ. causae omnes patronatus Regiae Coronae ad ipsius Judices spectant, quod ex Emmanuelino lib. 1. tit. 7. §. 1. desumptum: ad Judicem vero Ecclesiasticum quandoque pertinent ex §. 7. tit. 1. lib. 2., qui quidem Sphus depromptus fuit ex cap. 3. Concordiae Sebastiani Regis 18. Mart. 1578. (Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. V. §§. XIX. XX.).

2. Ex Emmanuelino lib. 2. tit. 1. §. 17., et Philippino Codice lib. 2. tit. 1. §. 5. causa super Ecclesiae bonis tunc demum ad Judicem Ecclesiasticum pertinet, si integre ac plane ad Ecclesiam adtineant, neque id a Laico convento denegetur: at ex Philippino §. 6. subsequenti, hausto ex art. 2. cit. Concordiae, causa super bonis Ecclesiae emphyteuticis, Laico etiam denegante, ad Ecclesiasticum judicem pertinet (Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. V. §. XXXV.).

3. Ex §. 5. lib. 2. tit. 9. in Codice Philippino Laicus in ecclesiastico conveniri potest ob rapinam tantummodo,

Digitized by Google

aut vim ipsius Clerici personae illatam: at ex §. 3. tit. 9. eod. lib., compilato ex cap. ult. praedictae Concordiae, propter quamvis injuriam, sive simplex, sive realis, sive verbalis ea sit, eodem foro conveniri potest (Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. V. §§. XXXII. XXXIII. XXXVI.).

4. Ejusd. Cod. lib. 2. tit. 1. §phus 13., ab Extravaganti 19. Mart. 1569., et a cap. 12. Concordiae 18. Mart. 1578. desumptus, quo Episcopis et pignerari, et in carcerem conjicere conceditur, non modo antiquis Ordinationibus adversatur, sed ipsis etiam recentioribus in eodem Philippino Codice tit. 8., ab Extravaganti 2. Mart. 1568. desumpto (Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. V. §. LIV.).

5. Ex Ord. lib. 3. tit. 42. in princ., Emm. 87., aetatis venia concedi potest feminae duodeviginti annos natae: haec autem facultas adempta est §. 13. Regim. Palat. in fin. lib. 1. (Inst. Jur. Civil. Lusit. Lib. II. Tit. V. §. XXIV.).

### *Illius judicium*,

§. XCII. Plures igitur Philippinus Codex naevos continet, neque ubique pristinam Patriae Jurisprudentiae majestatem servat: itaque parum abest, quin pro supervacaneo, ac paene inutili eum habeamus (XCIX.).

Extravagantes Emmanuelis, Joannis III. et Sebastian Regis paulo antea anno 1569. Oduardus Nonius Leo in unum volumen collegerat (§. LXXXVI): quare inutile prorsus erat et supervacaneum, quod eas iterum Philippus eodem tempore collegisset. Neque propterea haec a me dicta adcipias, quasi ego existimem illius Codicem vix quidquam egregium ac praeclarum continere; scio enim fere omnia, quae eodem continentur, optime se habere; sed haec nimirum aliunde, hoc est, a bono Emmanuelis Codice Philippus arcessivit: ea autem, quae eidem superaddidit, minimo valent. Verbo dicam, quod Sebastianus opus inchoaverat, Philippus perfecit, hoc est, jura nova, singularia, inaudita, quae Sebastianus in Patriam Jurisprudentiam primus invexit, Philippus longius latiusque produxit, et venerandam illius faciem tot repetitis denuo vulneribus deformavit.

Digitized by Google

### *Et Auctores.*

§. XCIII. Paulus Alphonsus, et Petrus Barbosa, ejusdem praecipui Architecti, haec tot nova et singularia jura in eum inseruerunt; quae Philippus II. vel ignoravit omnino, vel in tantis animorum et Reipublicae perturbationibus conscientia scelerum toleravit. Damianus etiam de Aguiar, et Georgius de Cabedo, prout ipse de se testatur p. 1. *Decis.* 211., eidem interfuerunt, ac operam navarunt.

Philippus II., *Prudens* dictus, vel quia justitiam ex propria utilitate, non ex honestatis rationibus metiebatur, vel quia erat Machiavellicis artibus adprime versatus, ut auctoritatem suam magis magisque in Regno, quod armis invaserat, firmaret, e re sua esse duxit, quod Regni universae leges, ac *Ordinationes* ejus auspiciis et nomine inscriberentur; eas autem ut digereret, usus in primis fuit Paulo Alphonso et Petro Barbosa, Palatii Senatoribus, qui eodem tempore magno in vulgus honore erant. Iidem Concordiae Sebastiani Regis habitae 18. Martii anno 1578., quae tam multa, eaque singularia Ecclesiasticis privilegia concessit, consilio, opera ac studio adfuerunt. Pereira p. 1. *de Man. Reg.* in praefat. ad eamd. pag. mihi 418. Quare mirum non est, quod ad novum Philippini Codicis ordinationem arcessiti similia in eumdem jura intulissent. Neque aliud ab adsentatoribus, et mercenariis hominibus sperari poterat, quorum alter una cum Georgio Serrano Catharinae, Serenissimae Brigantiae Duci, persuasit, ut juri, quod ad Regni successionem habebat, renuntiaret. Ericeir. Com. *Portug. Restaur.* p. 1. lib. 1. pag. 17.; alter vero partibus semper magis, quam veritati studuit, quod vel ex ipsius scriptis satis constat (§. LXXXIII. Not.).

### *Romanae Jurisprudentiae status.*

§. XCIV. Nec meliorem nacta fuit fortunam Romanorum Jurisprudentia; Cujaciana enim Schola publica lege proscripta, Bartolinam Philippus II. et III. in novis legibus, quas

Academiae Conimbricensi dederunt 8. Jun. ann. 1597., et 20. Jul. 1612., comprobarunt, eamque Doctor Navarrus, et alii, qui eum exceperunt, duorum saeculorum curriculo ad nostram usque aetatem protraxerunt.

Navarrus (Martinus Aspilcueta) sub Joanne III. ann. 1538 Conimbricae Jus Canonicum magna cum celebritate professus fuit. Illius nomen inter alios extollunt Nicolaus Antonius *Biblioth. Hispan.*, et Joannes Doujatius *Praelect. Canon.* lib. 5. cap. 8.: sed profecto tanti faciendus non est, quanti eum vulgo faciunt, nec cum celebrioribus hujus saeculi interpretibus, qui utrique Juri operam dederunt, comparandus; facile enim ex ejus scriptis adparet Navarrum in tradendi docendique ratione nihil fere a Bartolinae scholae methodo differre; quare eam in Jure Canonico primus apud nos fundasse videtur. Qui vero eodem saeculo Jus Romanum docuerunt, veluti Gundisalvus Vazius Pintus, Alvarus Valascus, Arius Pinellus, Emmanuel a Costa, ceteri, Navarro et Juris scientia, et methodo superiores sunt, et magis ad Cujacii doctrinam atque elegantiam adcedunt. Romanam autem Jurisprudentiam sub eodem Philippo deformavit, et Bartoli scholam in Academiae viridario primus plantavit Lusitanus alter Navarrus (Emmanuel Rodericius), Institutionum Imperialium Professor creatus ann. 1591., Digesti Veteris 1602., tandemque vespertinus ann. 1608. Honorificam illius de more mentionem faciunt Barbosa *Biblioth. Lusit.*, Franciscus Carneiro de Figueiroa *Memor. Academ. Conimbr.* Itaque Philippus Bartoli doctrinam in foro adprobavit Ord. lib. 3. tit. 64; in Academia vero illius scholam Legibus ann. 1597. et 1612. latis stabilivit. Harum vero Legum Academicarum Codex, quo a Philippo II. et III. per duo circiter saecula Academia Conimbricensis usa fuit, quam male Jurisprudentiae et literis omnibus consuluerit, officii ratione sui ex professo demonstravit gravissimorum, doctissimorumque hominum Collegium, quod 23. Decembr. ann. 1770. Fidelissimus atque Augustissimus Rex noster Josephus I. Olisipone creavit, ut ad eum pro Academicis Studiis regundis, et denuo fundandis consultationes deferret, in Opere *Compendio Historico* inscripto, quod die 28. Aug. 1771. prodiit.

Digitized by Google

# CAPUT X.

## DE JURE LUSITANO AB JOANNE IV. AD NOSTRA TEMPORA.

### *Joannis IV. leges.*

§. XCV. JOannes IV., Supremum pro rebus bellicis expediendis Consilium instituit 11. Decembr. 1640., cui Regimen dedit 22. Decembr. 1643. apud novum *Regim. Syst.* per Ludov. Joseph. Robert. tom: 5. pag. 221. (Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. XI. §. XV.), et Consilio pro Indiae Statu, et Transmarinis negotiis decidendis instituto 25. Jul. ann. 1604. novum Regimen dedit. 14. Jul. 1642., Collect. I. ad Ord. lib. 1. tit. 51. N. 7. (Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. II. §. IV.). Conventum, qui de rebus ad commercium pertinentibus provideret (§. CII.), Dipl. 10. Mart. 1649. creavit, qui exstinctus fuit Diplom. 1. Febr. 1720., Sous. *Hist. Geneal.* Tom. IV. *Probat.* ad lib. VII. Nn. 17. 18. In Comitiis Olisiponensibus 28. Januar. ann. 1641. habitis inter alia constituit, 1) ut nepos ex filio primo genito filio secundo genito in successione bonorum Regiae Coronae praeferatur, ab rogata Ordinatione lib. 2. tit. 35. §. 1., Dipl. 2. Maii 1647., Collect. I. ad eamd. N. 1. (Inst. de Jur. Personar. Tit. III. §. XXVI.): 2) ut non possent Curiae cujuslibet Praesides Officia vacantia domesticis conferre, Dipl. 9. Septembr. 1647. Collect. I. ad Ord. lib. 2. tit. 46. N. 1.: 3) ut nec ii, nec Palatii Senatores feminas, quae sub illorum mancipio, aut servitio essent, iis,

Digitized by Google

qui Magistratus honores ambiunt, in matrimonium darent, Dipl. 25. Maii 1647., ibid. N. 2.: 4) ut nullius momenti esset testamentum a Religioso scriptum, si testator Monasterium heredem diceret, aut legatum quodvis Monasterio relinqueret, Dipl. 2. Maii 1647. Collect. 1. ad Ord. lib. 4. tit. 80. N. 1. Similem huic legem jam antea Philippus IV. tulerat ann. 1634. non ubique locorum, sed in India tantum valituram, ibid. N. 2. Eamdem confimavit providentissima lex 25. Jun. ann. 1766. §. 1. et seq.: 5) ut de cujuscumque Magistratus licentia Tabelliones instrumentorum exempla exscriberent, abrogata Ordinatione lib. 1. tit. 78. §. 19., et lib. 3. tit. 60. §. 6., Dipl. 27. April. ann. 1647. Collect. I. ad Ord. lib. 1. tit. 78. N. 2.: et denique 6) ut Medici et Chirurgi medicaminum nomina vulgari lingua, et usitatis literis, minime vero siglis, et notis scriberent, Dipl. 13. Mart. 1656. Collect. I. ad Ord. lib. 1. tit. 58. N. 10.

Joannes IV., Decembr. ann. 1640. a primoribus Civitatis, et postea ab universo Populo Comitiis generalibus 28. Januar. ann. 1641. solemniter, et majorum more Rex consalutatus, non Imperium, quod jam illius erat, sed ejus possessionem, neque majestatem, quam prae se jam ferebat, sed illius tunc demum exercitium Populi suffragiis adquisivit. Nunquam enim in Lusitania, defuncti Regis filiis, cognatisve exstantibus, penes Populum libera fuit Regis eligendi potestas, ut jam dudum adversus Josephi Teixerae Libellum *de Regum Portugaliae Origine* demonstravit Oduardus Nonius Leo *Censur.* 78. [§. LXVI. Not. (*a*).] Quare injuria Populi suffragiis Joannes Regnum, et illius possessionem obtineret, nisi ad eum jure sanguinis, et successionis legitimae ex capite Catharinae Serenissimae, filiae Oduardi Infantis, Henrici Cardinalis Regis fratris, et Emmanuelis Regis filii, adtineret. Itaque Populus Olisiponensibus Comitiis nullum majestatis jus, quod non habebat, in Joannem transtulit, aut transferre unquam potuit,; sed tantum declaravit legitimum eum Regem esse, Regni successorem atque heredem, eidemque, tamquam Domino et Regi, debitam, ut par erat, fidem, obedien-

Digitized by Google

tiamque juravit. Quamobrem quae in vestibulo et prooemio horum Comitiorum leguntur in libello sub nomine Francisci Valasci de Govea, edito hac inscriptione et titulo: *Joannes IV. Serenissimus Portugaliae Rex juste consalutatus*, qui Lusitana primum lingua prodiit ann. 1644., Latina 1645, quod scilicet Populus Regem creare, et deponere possit, quod Regis potestas a populo proficiscatur, et quod is possit, si res ita exegerit, majestatem, quam a principio Regi contulit, aliquando sibi praesumere ac vindicare, et id genus alia, ineptissima sunt, et ex infami, et summe exitiali Monarchomachorum secta deprompta.

*Alphonsi VI.*,

§. XCVI. Alphonsus VI. inter alia decrevit, ut non possent Scribae, Tabelliones, ceteri, qui aliorum munera, officiaque obierint, eisdem plus quam tertiam redituum partem dare, Dipl. 22. Jun. ann. 1667. Collect. I. ad Ord. lib. 1. tit. 97. N. 3.: ut Provinciarum Praesides, et Judices *foranei* ad superiores remitterent milites, qui fuerint absque licentia, vel ea demum finita, in parentum, vel cujusvis alterius domo reperti, Decret. 30. Januar. 1664. Collect. II. ad Ord. Lib. 1. tit. 60. N. 11. Et denique illud vectigalis genus pro officiis et muneribus Regiis persolvendum, quod *Novos Direitos* adpellamus, aestimavit, et pro eo consectando ac procurando Regimen dedit 11. April. ann. 1661. Collect. I. ad Ord. lib. 1. tit. 2. N. 7.

*Petri II.*,

§. XCVII. Petrus II. in Comitiis Olisipone 27. Januar. ann. 1668. habitis Portugaliae Regimen, vivo adhuc Alphonso fratre, suscepit, illudque sub nomine Principis tenuit ad annum usque 1683., quo Alphonsus Rex e vita excessit. Bonas interim leges sancivit, quarum unam,

Digitized by Google

vel alteram referre juvat, veluti ne bona, quae titulo emphyteutico possidentur, reapse, seu per glebas, sed aestimatione tantum dividantur, Dipl. 6. Mart. 1669. Collect. I. ad Ord. lib. 4. tit. 96. N. 1., et ne Conimbricae Scholastici talare pallium, vel pileum capiti imponant, Dipl. 25. April., et 20. Septembr. ann. 1674. Collect. I. ad Ord. lib. 5. tit. 79. Nn. 4. et 5. Et iis denique, qui frumentum intercipiunt, graves indixit poenas, securitatis literas denegavit; et Clericos de turpissimo hoc crimine convictos, tamquam domesticos patriae hostes, proscripsit, Decret. 25. Januar. ann. 1679. Collect. II. ad Ord. lib. 5. tit. 76. Nn. 1. 2. 3.

## *Joannis V.*

§. XCVIII. Eidem 9. Decembr. ann. 1706. mortuo successit Joannes V. Rex Fidelissimus. Egregia multa et praeclara gessit. Regiam Lusitanae Historiae Academiam Olisipone instituit 8. Decembr. ann. 1720., et multiplices tandem easque sapientissimas edixit leges, quas referre necessum non est, cum in nova Legum Extravagantium Collectione ann. 1747. edita habeantur. Illius sapientiam ac religionem inter alia commendat Diploma 20. Aug. 1721. Collect. I. ad Ord. lib. 5. tit. 12. N. 5., de cippis, numismatibus, et antiquitatis aliis ruderibus non abolendis (Inst. Jur. Crim. Tit. V. §. VII.), et 3. Aug. 1708. Collect. I. ad Ord. lib. 5. tit. 99. N. 1., de haereticorum filiis impuberibus ab amplexu matrum religionis causa non eripiendis.

Digitized by Google

### *De variis Philippini Codicis editionibus.*

§. XCIX. Neque Philippinus Codex (§. XCII.) sub legitimis Portugaliae Regibus vim et auctoritatem leges habere desiit; eum quippe Joannes IV. Regio Diplomate 29. Januar. ann. 1643. confirmavit, et variae postea illius editiones in lucem prodierunt.

Primum sub Petro II. per Emmanuelem Lopesium Ferreiram in Monasterio S. Vicentii Canonicorum Regularium Olisipone ann. 1695. 3. vol. fol., secundo sub Joanne V. in eodem Monasterio ann. 1708. 3. tom. 8., et iterum sub eodem in officina Patriarchali Olisipone anno. 1727. 3. tom. 8. recusus fuit (§. LXXXVII. Not.). Ex Regio autem Joannis IV. Diplomate 29. Januar. 1643. luculentissime constat Regem invictissimum, quasi necessitate compulsum, Philippinum Codicem comprobasse; namque ait declarationibus eum non nullis et correctionibus indigere, subjungitque universum Populum in Comitiis ann. 1641. ab eodem enixissime postulasse, ut novus alius emendatior et sincerior Patriarum Legum Codex ederetur. Verum, cum sileant inter arma leges, illud optimi Principis votum, et tam justum ac salutare Regni totius postulatum in tanto armorum strepitu vix ac ne vix quidem successum habere poterat. Imperantibus vero Alphonso VI., Petro II. et Joanne V. de novo Patrii Juris Codice faciendo, emendando, et in meliorem ac simpliciorem ordinem redigendo, vel ob intestinas seditiones, factionesque civiles, vel misero nescio quo, ac illaetabili Lusitanae Jurisprudentiae fato, ne cogitatum quidem unquam fuisse puto.

### *De novissima, ejusque Repertorio.*

§. C. Omnium tamen splendissima ea habetur, quae¹, Joanne V. imperante, Olisipone anno 1747. tandem prodiit: cui adcessit Legum Extravagantium, et Supplicationis, Portuensisque Domus Decisionum Collectio ab anno 1603 usque ad annum 1746., secundum ordinem librorum et titulorum adcommodata¹, Ordinationum denique index generalis, seu Repertorium

Haec postrema Philippini Codicis editio ann. 1747., et illius Repertorium vulgo maximo in honore, et pretio habetur: sed, si dicendum quod res est, eam ego superfluam omnino judico, cum non semel eodem saeculo prodierit. (Omnium postremae sunt, quae Conimbr. prodierunt typis Academicis ann. 1789., 1806., et 1824. 4. 3. vol. Haec ultima vero adcuratissima inter omnes editio est, utpote exacta et expurgata ad fidem principis editionis an. 1603., ut patet ex Indicibus erratorum et emendationum ad cujusque libri calcem positis, in quibus octingenti fere loci relati correctique fuere.) Repertorium vero et illius Notas, quas tanti faciunt Advocati, nihil ego reputo. Nam in primis hoc volumen tantae molis est, et adeo immensae magnitudinis, illud, nisi qui multum corporis viribus valeat, vix evolvere possit. Indicem vero, et generale Ordinationum et Legum Repertorium jam multo antea, et melioribus quidem temporibus ordinaverant Oduardus Nonius Leo ad Ordinationem Emmanuelinam, Olisipone 1560., et ad Philippinam Caspar Soarius da Gama, Regius sub Philippo II. Procurator, et tandem celebris Emmanuel Mendes a Castro Olisipone ann. 1604., 1608. et 1623., Conimbricae 1661 et 1725., quibuscum novi Repertorii auctor. (Hieronymum Silva Pereiram esse constat ex *protestatione* in fine Operis adposita) non est ulla ex parte comparandus. Remissiones autem Doctorum et Notas, ab imperitis harum rerum aestimatoribus tantopere celebratas, ex eodem Emmanuelis Mendes a Castro Repertorio hausit fere omnes: in iis vero, quae de suo adposuit, omnibus, quibus nares paulo sunt acutiores, palam fecit, se Jureconsultum minime esse, sed Leguleium, eumque vulgarem. Namque passim, et fere ubique lectore offendet interpretationes, seu Notas cerebrosas, et legum nostrarum verbis mentique contrarias. Non nulla exempla adducam. Ordinationem lib. 2. tit. 18. §. 5., qua cautum est, ne Clerici bona sua testamento Ecclesiasticis, Monasteriis, et Ecclesiis relinquant, intelligit de bonis ab eisdem adquisitis, secus de patrimonialibus, seu hereditariis, verb.: *Clerigo, que herda.* Ordinationem eodem lib. et tit. §§. 5. et 8., qua Clerico proximo agnato jus ab intestato Clerico succedendi adstruitur, dummodo quae ab illo habuit, intra annum vendat, in bonis quoque patrimonialibus locum habere negat, et in usu nunquam et praxi fuisse adfirmat, verb.: *Clerigo póde comprar.* Similem Ordinationem eod. lib. tit. 16., qua Clericis interdicitur bona habere in Regum propriis, *Reguengos* dicimus, locum non habere contendit in bonis, quae a majoribus adceperunt, verb.: *Bens nos Reguengos.* Et denique, ut verbo dicam, totum titulum 18., omnium certe providentissimum, in quam jam multa Philippus

Digitized by Google

nova invexerat, interpretationibus suis privatus homo, et nullius certe celebritatis funditus evertit, atque corrumpit, dum per summam audaciam et inscitiam adfirmare non dubitavit sub verb. *Bens de raiz* posse Ecclesiam, seu Monasterium dominium utile illius rei, cujus directum habet, emere; posse bona titulo emphyteutico, vel longissimo tempore sub qualibet pensione alii utenda, fruenda, et locanda tradere, vel adcipere, eorum possessionem denuo adquirere; posse, si non venditionis, saltem donationis, legati, permutationis, anniversariorum, et piae causae titulo bona stabilia habere; et id genus alia tam multa congerit atque commiscet, quae ab Ordinationum nostrarum verbis, mente, et ab antiquis, receptisque Regni legibus ac consuetudinibus absunt quam longissime. Juris porro Publici ignorantiam ubique prodit, principia, originem, vicissitudinem, et propriam legum nostrarum οἰκονομίαν omnino ignorat, easque nunquam e genuino fonte et foro interpretatur, neque unquam in earum rationes, causam, occasionemve inquirit. Ad jus Romanum saepius provocat, non tamen ad jus illud sincerum, masculum, et vere Romanorum (quod ab homine tot luminibus, praesidiisque destituto sperare poterat nemo), sed ad spurium, adulterinum, et squalidis Bartolistarum manibus sordidatum. Patrias a Romanis nunquam separat leges, neque diversa utriusque juris principia, et συςημα agnoscit. Citationes Doctorum utramque faciunt paginam; sed vix unum adlegat, qui boni interpretis et Jureconsulti nomen tueri possit; et jus denique universum non ex praescripto et auctoritate legum, rationumve momentis, sed ex Doctorum numero, et praejudicatis opinionibus derivat. Scio ego quod multi ex ordine Advocatorum adnotationes aliquas (*Peculium Juris* eas adpellant) ad singulos Ordinationum paragraphos ab insigni quodam Causidico elaboratas, tamquam rem inaestimabilem, et pretiosissimam supellectilem, servent; eas vero cum facile ad manus habere posset Repertorii auctor, ex eisdem (sic enim conjicio) *Remissiones* suas, seu *Notas* confecit, quas ego tanti facio, quanti promptuarium illud, et peculium Advocatorum. Mitto plura, neque enim instituti mei ratio patitur, ut hujus quantivis pretii Operis naevos omnes percurram.

Digitized by Google

# CAPUT XI.

### DE JURE LUSITANO SUB JOSEPHO I., ET MARIA I. REGINA FIDELISSIMA.

## *Aerarii nova institutio.*

§. CI. ULtima haec est et illustrior Lusitanae Jurisprudentiae periodus. Josephus I., felicis recordationis Princeps, Lusitanum, qua late patet, Imperium, a Deo O. M. sibi concreditum, pluribus, iisque sapientissimis latis legibus communivit, et egregiis admodum institutis servavit, mirificeque adauxit. Horum numero primo certe loco haberi debent nova Regii aerarii institutio, et novae, eaeque adcuratissimae pecuniarum publicarum, in quibus praecipuus Reipublicae nervus continetur, exigendarum, et administrandarum rationes.

Distinctio bonorum Principis et Civitatis, qualis apud Romanos erat, qui aut in vera Republica, aut sub illius umbra semper vixerunt, nulla apud nos est. Tributorum omnia genera, fundi, et possessiones Regiae, cetera, quae bonorum Regiae Coronae nomine veniunt, quorum necesse non est, ut nos hic adcuratam definitionem demus, Principis, non Civitatis sunt, quibus ad publica omnia belli, pacisve negotia promiscue, et indiscriminatim utitur. Hujusmodi autem bonis adservandis publicum, et Regium aerarium denuo instituit, iisque exigendis, et administrandis novas et utilissimas leges dedit 22. Decembr. 1761., quae ad Fisci quoque Regii bona postea ferme productae fuerunt lege 21. Febr. ann. 1766. (Instit. Jur. Publ. Lusit. Tit. IV.).

*Commercium mirum in modum adauxit;*

§. CII. Commercii libertatem, honores, ac privilegia tam in Regno, quam in Provinciis longe mirificeque adauxit. Omnibus Lusitanis ad Brasiliam navigandi, et negotiandi jus dedit Dipl. 10. Septembr. 1765., et 27. de Jun. 1769. Pro rebus vero in Magnum-Pará invehendis, vel evehendis 7. Jun. 1755., et in Pernambucum et Paraibam 13. August. 1759. Societates mercatorias Olisipone instituit. Novum Collegium Vinarium apud Portuensem civitatem erexit 10. Septembr. 1756.; et Serium apud Olisiponem stabilivit 6. August 1757. Perantiquis autem legibus lanificiorum Collegio datis ann. 1573., et 7. Jan. 1690. novas alias, easque sapientissimas addidit 11. August. 1759., 7. Novembr. 1766., et 4. Septembr. 1769. Conventum quemdam commercii exercendi, et longe lateque amplificandi gratia Olisipone creavit sub titulo *Junta do Commercio destes Reinos e seus Dominios* (§. XLV.), Decret. 30. Septembr. 1755., Dipl. 16. Decembr. 1756. Et primus denique apud nos publicam commercii, legibus specialibus institutisque ediscendis instructam, scholam Olisipone fundavit Dipl. 19. Maii 1759.

*Agriculturam, et Militiam.*

§. CIII. Agriculturam, artium omnium adprime utilem ac necessariam, promovit legibus agrariis latis 26. Octobr., 20. Jul. 1765., et 18. Febr. 1766. Ad Militiam vero quod adtinet, quae semper gentis nostrae praecipua laus fuit, novum Militare Regimen dedit peditibus 18. Febr. 1763., et equitibus 25. August. 1764. Novum universo exercitui ad diem solvendi ordinem

Digitized by Google

ordinem definivit 9. Jul. ejusdem ann. 1763.; et novam paganorum in militum tabulas referendorum rationem praescripsit 24. Febr. 1764. Copiarum numerum adauxit Regio Diplomate 9. et 21. April. 1762. Nova militibus, et eorum Ducibus insignia ac nomina indixit 27. April. et 30. Maii 1761., 5. et 14. April. 1762. Et denique tam auxiliariis, quam stipendiariis militibus inter alia privilegia civilium munerum immunitatem concessit 22. Mart. ann. 1751.

*Sacerdotii et Imperii limites distinxit.*

§. CIV. Religionem non semel, prout valde Christianum Principem decet, sartam tectamque servavit. Sancti Officii Consilium Generale Majestatis titulo decoravit, Regia auctoritate munivit, eique externam coërcitionem concessit 20. Maii, et 12. Jun. 1769. Ecclesiam, atque illius Administros rebus in omnibus adjuvit, et justos Sacerdotii et Imperii limites aequissimis ac sanctissimis legibus 10. Mart. 1764. latis, et aliis non nullis (Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. V. §§. II. XVII. LIII.) primus in Lusitania definivit.

Occasionem Regio Diplomati 10. Mart. 1764. dedit Petri Ludovici Sousae, Egitanensis Canonici, temeritas et audacia incredibilis, qui Praetorem, quem dicimus *da Comarca de Pinhel*, sacris interdixit, propterea quod sententias Domus Supplicationis in causa quasi possessionis super ecclesiastica quadam pensione latas, et eidem commissas exsecutioni mandaret. Ejusdem argumenti est Regium Diploma 18. Januar. 1765. datum.

*Novos Magistratus, et Tribunalia instituit.*

§. CV. Novos Magistratus, et belli Auditores creavit 20. Octobr. 1763., et duos Domorum publicarum mercium Curatores, quos vocamus *Superintendentes Geraes das Alfandegas* 26. Maii



Digitized by Google

1766. Novos etiam Administros ad breviorem bonorum Regiae Coronae generalium Confirmationum expeditionem specialiter deputatos nominavit 6. Maii 1769. Judicium *Inconfidentiae* instituit Decret. 17. August. 1765., Regiam Curiam Censoriam 5. April. 1768., et Senatum quemdam, seu Conventum Juridicum in Civitate, quam adpellant *Divi Sebastiani*, seu *Fluminis Januarii*, 13. Octobr. 1751. creavit. Consilio Regii Patrimonii, seu, ut aiunt, *da Fazenda*, cum antea voluntaria tantum jurisdictione frueretur, contentiosam concessit, et novum ei Regimen dedit 22. Decembr. 1761., cujus titulum tertium ad Consilium Transmarinum postea produxit 16. Jun. 1763.

Censura librorum ad Principem vel maxime spectat. Vid. Amelot de la Houssaie *Histor. du Gouvernem. de Venise* p. 3. §. 6., Gianon. *Istor. Civil. di Napoli* tom. 3. lib. 27. cap. 4. §. 1. 2., Van-Esp. p. 4. cap. 2. §. 3. *de us. Placit. Reg. super proscript. libror.* In Lusitania initio Reges tantum eos legendi facultatem dabant; notum quippe est, Episcopos nostros ab Alphonso V. enixe postulasse, ut libros Wicklefi, et Joannis Hussi prohiberet. Plura alia exempla exhibet *Deduct. Chronolog. et Analytic.* 2. p. *demonstr.* 7. Ab anno autem circiter 1624., nescio quorum industria, effectum est, ut librorum prohibendorum facultas inter Ordinarium, S. Officii Consilium, et Palatii Curiam partiretur. Cum vero segnius expediant commissa negotia plures, neque praeterea ipsi Ordinarii, fidei Quaesitores, et Palatii Senatores libros inspicerent et examinarent, sed quorumdam hominum, quos *Qualificatores* adpellabant, examini subjicerent, mirum non est ex tam negligenti opera et censura in re tanti momenti non minimam Lusitaniae literaturae ignominiam inustam esse, quam hodie boni quique cives et publica, et privata causa dolent. Quare Rex Fidelissimus, ut hac quoque in re literis provideret, et suorum civium honori consuleret, Regiam Curiam Censoriam instituit 5. April. 1768., cujus esset specialem librorum curam habere. Illius primum praesidem nominavit Cardinalem Cugnam, Archiepiscopum Eborensem, fidei Quaesitorem Generalem, et Supremum Justitiae Rectorem ac Moderatorem. In novam vero hanc Curiam, et amplissimum

Digitized by Google

ordinem cooptati a principio fuerunt gravissimi, doctissimique homines, Theologi, et Jurisperiti, quos referre necesse non est, nemo enim eos inter nos ignorat. Et ex gravissima hac Curia innumera jam sapientissima Edicta prodierunt, quae jure suo eorum librorum lectionem prohibent, qui vel religionis sanctitatem offendunt, legentium mores corrumpunt, et Ecclesiae in spiritualibus Supremae potestati, Romanive Pontificis Primatui adversantur, vel publicam tranquillitatem, et Regiam auctoritatem laedunt: et huc in primis spectant Edicta 10. Jun. 1768., 4. et 12. Decembr. 1769., 24. Septembr. 1770., cet. Hujus Curiae auctoritas amplificata fuit lege 21. Jun. 1787. (Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. II. §. IV.), et exstincta, antiquis reductis, lege 17. Decembr. 1794., et 30. Jul. 1795.

## *Variae leges.*

§. CVI. Indicis hominibus justam libertatem restituit, pluribus eos honoribus et privilegiis cumulavit, bonorum suorum usum, et plenam de iis disponendi facultatem dedit 1. April., 6. et 7. Jun. 1755., 8. Maii, et 17. Aug. 1758. Antiquissimas, et ab ipsius Regni primordiis stabilitas *amortizationis* leges confirmavit, et novas alias, easque providentissimas edixit 4. Jul. 1768., 12. Maii 1769. Majoratus tenues, et liberas eorum nominationes prohibuit, conditiones exoticas explosit, et certam eorumdem instituendorum rationem definivit 3. Aug. 1770. Amplissimam jure Romano testandi, legandive libertatem, quae legitimis ab intestato heredibus tam multis, iisque justissimis lamentationibus causam praebuit, justis limitibus et cancellis, prout e Republica tunc esse videbatur, circumscripsit 25. Jun. 1766., et 9. Septembr. 1769. Certam Regni, et Regiae in primis Urbis politiam fixit 25. Jun. 1760. Illustrium feminarum dotes, et legitimas abolevit 17. Aug. 1761., et 4. Februar. 1765. Civitatem a furum, et bonorum raptorum incursionibus liberari curavit



Digitized by Google

20. Octobr. 1763. Debitam legibus sacratissimis, Magistratibus, et eorum adparitoribus obedientiam magis magisque firmavit 24. Octobr. 1764. Officia Justitiae, et Reipublicae munera hereditaria non esse declaravit 22. Decembr. 1761. tit. 4., 23. Novembr. 1770., et illorum venditionem, pignerationemque prohibuit 17. Januar. 1766. Vera principia in sententiarum revisionibus *gratiae specialis*, et *specialissimae* nuncupatis suppeditavit 3. Novembr. 1768. Nova piscationum jura in Algarbiorum Regno exstinxit; et eorum summam ad Emmanuelis invictissimi Regis tempora reduxit 15. Jannar. 1773. Honori et existimationi civium optime consuluit, irreligiosamque distinctionem inter veteres et novos Christianos penitus explosit, et omnibus sacro fonte ablutis similia ferme et aequalia jura concessit 25. Maii 1773., et 15. Decembr. 1774. [§. LXVI. Not. (*c*)]. Minutissimas denique fundorum divisiones in judicio familiae erciscundae prohibuit, et dominium ac proprietatem civium, liberamque unicuique de rebus suis disponendi facultatem eatenus servavit, quatenus publicae utilitati, quae suprema lex est, non adversatur, 9. Jul. 1773., et 14. Octobr. eod. ann.

*Jurisprudentiam in foro fixit.*

§. CVII. Jurisprudentiam vero certam in foro fixit omnium pulcherrima et sapientissima lege 18. August. data ann. 1769., quae quidem, cum ad nos propius adcedat, digna profecto est, ut ejus specialem mentionem faciamus.

Celeberrima hac, et vere aurea Constitutione Josephus I. totius legitimae scientiae in Lusitania fundamenta jecit: eam itaque legat saepius Juris Patrii studiosus, memoria perpetuo retineat, et in succum ac sanguinem convertat.

Digitized by Google

Vel solum illius prooemium adeo luminosum est et sapientissimum, ut nihil ultra: §pho vero 1. 2. 3. Ordinationem lib. 1. tit. 4. §. 1. confirmat, et usum atque auctoritatem Glossarum Cancellarii Domus Supplicationis: §pho 4. Ordinationem lib. 1. tit. 5. §. 5., Emman. lib. 5. tit. 58. §. 1., declarat, et Supremo Justitia in Lusitania Senatui leges authentice interpretandi potestatem concedit: §pho 5. adprobat §phum 8. Regiminis 7. Jun. 1605., et statuit receptam Supplicationis Domus praxim, seu, ut aiunt, *stilos*, non quoscumque, sed eos demum, qui fuerint in Senatu specialiter super iis habito confirmati, vim et potestatem legis habere: §pho 6. addit rem ad Senatum quoque esse a causae Relatore deferendam, quando de intelligentia legis utriusque partis Advocati non conveniunt: §pho 7. Advocatorum has interpretationes futiles plerumque et ineptas esse monet, eosque propterea gravibus coërcet poenis: §pho 8. agit de plenis Deliberationibus et Placitis Portuensis, Bahiensis, Fluminis Januarii, et Indiae Senatus, quibus non nisi in Suprema Supplicationis Domo confirmatis vim legis adtribuit: §pho 9. Ordinationem lib. 3. tit. 64. in princ. abrogat, qua cautum erat, ut, Patriis Legibus non exstantibus, peregrino Romanorum jure uteremur. Egregie hoc loco Legislator noster sapientissimus demonstrat varias Romani Juris mutationes, et earum causas, ejus miram structuram, ejus etiam naevos, et speciales rationes, quae vel ex speciali Romanorum politica, ex Reipublicae, et Jureconsultorum genio, eorumque secta, vel ex juris apicibus, verborumque solemnitatibus, et ex sexcentis denique aliis, quae referre otium non est, deducuntur: tandemque, subductis omnibus, quae huc facere videbantur, concludit Jus Romanum nullius ferme hodie usus apud nos esse: itaque illius adlegationem prohibet, et, legibus demum Patriis et consuetudinibus deficientibus, statuit rectam tantum rationem lydium eum lapidem esse, et praeclaram cynosuram, quam Judices Advocatique omnes debent observare, quae quidem potius ex aeternis et immutabilibus Juris Naturalis principiis, ex universalibus Gentium placitis, ex oeconomicis, politicis, et mercatoriis cultiorum Nationum legibus, quam ex Romani Juris, jam dudum emortui, extrinseca auctoritate, petenda est: §pho 10. tradit veras Juris Patrii interpretandi regulas non esse generaliter ex Romanorum legibus petendas; leges nostras multa non tantum specialia, sed et adventitio illi et peregrino juri adversaria continere; et ea quoque, quae ex eodem hausta vulgo esse putantur, propriis, nativisque rationibus apud nos fuisse recepta; et denique eos omnes vehementer errare, qui leges nostras Juri *communi* dicto consentaneas

Digitized by Google

latam, eidem vero contrarias strictam interpretationem capere existimant; §pho 11. eas tantum interpretationes adprobat, quae ex legis ferendae ratione, occasione, spiritu, et ex aliis genuinis, quae proponit, principiis derivantur: §pho 12. eamdem Ordinationem lib. 3. tit. 64. in princ. ea quoque in parte abrogat, qua sancitum erat Sacros Canones in iis, quae pecccatum continent, in foro vim legis habere. Hanc in rem duo egregie statuit: *primo* nullam posse in saeculari, et externo foro peccati, cujus coërcitio ad Ecclesiam spectat, sed delicti tantum cognitionem versari: *secundo*, in delictis, et rebus mere temporalibus nullam Juris Canoni in civili foro auctoritatem esse: §pho 13. Accursii, Bartoli et similium adlegationes prohibet, et illius Scholam atque imperium forense destruit. Ultimo tandem §pho 14. iis tantum moribus et consuetudinibus legis vigorem adtribuit, qui ratione innixi fuerint, nec scriptis legibus contrarii, et qui demum a centum retro annis et ultra in foro obtinuerint.

## *Bullae* In Coena Domini, *et aliarum retentionem prohibuit.*

§. CVIII. *Placiti Regii* usum, in Lusitania antiquissimum (§. LIX. Not.), supremo cuilibet Imperanti Naturali et Gentium jure competentem inseparabiliterque inhaerentem, servavit. Bullae *In Coena Domini* una cum *Indicibus Expurgatoriis*, ut adpellant usum cursumque prohibuit 2. April. 1768., et 4. Decembr. 1769. Bullae *Animarum Saluti*, Romae datae 10. Septembr. 1766., retentionem inhibuit 28. Aug. 1767. *Literas in forma Brevis, quibus abrogantur et cassantur non nulla Edicta in Ducatu Parmensi et Placentino edita*, veluti subreptitias, et Sanctae Matris Ecclesiae, Summique Pontificis piis intentionibus contrarias declaravit 30. April. 1798. Jesuitas a Lusitaniae finibus abire jussit 3. Septembr. 1759., et Bullam exstinctionis Jesuiticae Societatis in universo Christiano Orbe, quam Magnus Papa Clemens XIV. Romae de-

Digitized by Google

dit 21. Jul. 1773., in Lusitania adprobavit 9. Septembr. eod. ann.

*Humaniora studia instauravit.*

§. CIX. Linguarum studium, et literas humaniores in justam libertatem adseruit, novas iis tradendis Olisipone, Conimbricae, Portuensi in civitate, Eborae Scholas aperuit, et novos, eosque eximios professores creavit, quibus sapientissimas Instructiones dedit 28. Jun. 1759. Nobilium institutioni literarium novum Collegium Olisipone fundavit 7. Mart. 1761. Lusitanae Linguae cultum studiumque promovit 30. Septembr. 1770. Et denique 6. Novembr. 1772. statuit, ut in omnibus civitatibus, et locis insignioribus, qui legis adpendici referuntur, tam in Regno, quam in Provinciis, publice Hebraicae, Graecae, Latinae, et Lusitanae Linguae, itemque Rhetorices, et Philosophiae Rationalis ac Moralis Professores essent.

*Academiam Conimbricensem denuo fundavit.*

§. CX. Academiam Conimbricensem, quam Olisipone Dionysius fundavit, suo pristino nitori, quo sub Emmanuele et Joanne III. Regibus fruebatur, restituit; eamque tot privilegiis, honoribus et adcessionibus adauxit, tot, tantisque eximiis Professoribus, omnium scientiarum genere excultis, ornavit, ut non eamdem, quae antea erat, Academiam instaurare, sed aliam denuo instituere ac fundare videretur. Novum de providendo literis Collegium Olisipone creavit 23. Decembr. 1770., cujus esset de melioribus Academicis studiis regendis, emendandis, vel denuo fundandis ad eumdem referre: et ad illius relationem Academicas

Digitized by Google

leges sub Philippo II. 8. Jun. 1597., Philippo III. 20. Jul. 1612. abrogavit 28. Aug. 1772., et earum loco novas dedit, quibus hodie quoque regitur Academia. Ad tantum vero opus perficiendum Marchionem Pombalii amplissima cum potestate nominavit Regia Epistola ad eum data eodem die et anno.

*Juris Patrii scientiam creavit.*

§. CXI. Cum vero inter alia literariis antiquae Academiae legibus id vitium esset, quod Jus Romanum peregrinum interpretandum dumtaxat proponerent, Patrium vero omnino omitterent; illud fuit bene sapienterque in hac nova studiorum ratione institutum, ut certi Professores crearentur, qui Lusitanas leges, Patrios mores, et consuetudines explicarent.

Non modo laetandum nobis est, quod Juris Lusitani Scientia locum tandem aliquando in Academia nostra invenerit, sed etiam insuper optandum, ut imminuto Professorum Juris Romani et Pontificii agmine, tot Juris Patrii in ea statuantur Professores, quot ad integram disciplinam commode, plene et utiliter tradendam opus esse experientia satis edocet; et ut Juvenes, a peregrinis citius temperantes, ad nostra, hoc est, ad utilia maturius convertantur, in iisque paulo diutius, uti par est, immorentur. Hoc autem aliquando futurum, utinam brevi! nos sperare jubet mira illa Reginae ac Dominae nostrae in haec studia propensio, quam tum maxime prae se tulit, cum jussit ab initio sui ipsius Regni, et summa aviditate instat, ut Jus nostrum denuo colligatur ac reformetur. Verum de hoc argumento §pho sequenti opportunius.

*Leges Mariae I., Reginae Fidelissimae.*

§. CXII. Maria I., Regina ac Domina nostra longe clementissima, magni parentis exemplum sequuta, commercium, agriculturam,

Digitized by Google

militiam, artes omnes, et Olisiponis, totiusque Regni politiam egregie adjuvit Regiis Diplomatibus 9. Aug., 18. Jul. 1777., 13. Jul., 1. Octobr. 1778., 22. Febr., 12. Jun., 5. Aug. 1779., 15. Januar., 14. Mart., 14. April. 1780., 23. Aug. 1781., 5. Jun. 1788., et Regiis Decretis 17. Jul. 1778., 30. Aug. 1780., 25. Januar. 1781., cet.

Illud autem omnium sapientissimum, quo Patriam Jurisprudentiam universam emendandam, et in novum Codicem alia methodo et ordine, quem eodem praescripsit, digerendam curavit. Pulcherrimum hoc opus, quod solum intentasse eximia laus est, brevi absolutum et perfectum speramus. Eo autem perfecto, et sui ipsius, et Augustissimae Reginae historiam plenius enarrabit.

# CAPUT XII.

## *DE JURECONSULTIS LUSITANIS.*

### *Lusitani Jureconsulti.*

§. CXIII. QUia non parum ad Lusitani Juris intelligentiam conducit notitiam habere Jureconsultorum Lusitanorum, qui vel de Patriis Legibus, vel Romanis scripserunt, de iis pauca quaedam nos, et quantum ad institutum nostrum spectat, edisserere non ab re erit: neque propterea intendimus perfectam eorum historiam contexere, sed praecipuos tantum auctores, eos praesertim, qui in foro celebriores sunt, et inter omnium manus versantur, nominare. Hi vero cum vel *theorici* sint, vel *practici*, vel ipsarum Regiarum Ordinationum

Digitized by Google

interpretes secundum librorum et titulorum seriem, de utrisque seorsum, breviter tamen et nostro more, disseremus.

Jam apud omnes in confesso est, notitiam eorum, qui de re aliqua, cujusvis ea generis sit, scripserunt, esse omnino ad illius intellectum necessariam. Et, ut de arte tantum nostra loquamur, Pomponius, ejusdem historiam traditurus libro singulari Enchiridii, qui ex parte exstat in l. 2. §. 35. et seq. *de origin. jur.*, recensum Jureconsultorum Romanorum, illorumve successionem non omisit. Pomponii exemplum sequuti humaniores postea Interpretes Pancirollus, Lipenius, Struvius, Jugler, cet., in Bibliothecas Juris Selectas, et Selectissimas, quas scripserunt, eorum nomina retulerunt, qui civilem Romanorum prudentiam scriptis illustrarunt. Communis haec omnium nationum laus est, quod non modo Juris, reliquarumve disciplinarum, sed universam in primis literariam suae gentis historiam certatim, et ad aemulationem usque contexerint. Omnium vero certe incuriosi esse noscuntur Hispani, Lusitanique nostri. Illos inter (ut Gallos, Italos, aliosque remotiores omittam) Alphonsus Garsias Matamorus *de Academiis, literatisque Viris Hispaniae* libellum singularem edidit, apud *Hispan. Illustr.* tom. II. pag. 804. Postea Andreas Schottus, et qui primo loco nominari debebat, Nicolaus Antonius *Bibliothecam Hispanicam* instructissimam conscripserunt.

In Lusitania nostra saeculo XVII. *Theatrum Lusitaniae Literarium* scripsit Joannes Soarius Britus: *Catalogum Lusitanorum Scriptorum* Franciscus Galvanus, D. Franciscus Emmanuel Mellius, Joannes Francus Barretus, et alii: sed hi publicam nunquam viderunt lucem; iis tamen usus est Didacus Barbosa, prout ipse fatetur in praefatione *Bibliothecae Lusitanae.* Damianus Goesius, Eques Lusitanus, apud *Hispan. Illustr.* tom. I. pag. 1165. Lusitanos Scriptores et Hispanos conjuncte refert. Specialem illorum mentionem facit Emmanuel de Faria Sousa *Epitom.* 5. p. cap. 15., Joannes Baptista Castrus *Mapp. Portug.* tom 2. p. 4. cap. 2. §. 4. pag. 286., et nostra demum aetate prodiit *Bibliotheca Lusitana*, in quam illius auctor gravissimus Didacus Barbosa Scriptores omnes nostros retulit, illorum vitas, patriam, munera, officiaque descripsit, et multas tandem, easque non vulgares notitias inseruit, quas profecto non sine magno improboque labore congerere potuit.

Digitized by Google

Verum haec interim, quamdiu meliora non adparent, aequi bonique consulenda; rem tamen non perficiunt. Nam Goesius, Faria, Castrus, ceteri, nimium breves sunt, nec curiositatem explent: Barbosae *Bibliotheca* sua magnitudine (quatuor enim volumina in forma majori continet) fastidiosis delicatisque hominibus oneri esse potest: deinde eo vitio laborat (dicam fidenter quod sentio, idque fatentur Literati omnes), quod scriptores omnes promiscue, et sine delectu laudat, quod non nullos indignos, qui nominentur, refert, et quod omnibus, summis pariter atque infimis, pares laudes adtribuit. Itaque desideratur adhuc Historia Gentis nostrae Literaria, quae Literarum et Scientiarum omnium ortum progressumque in Lusitania ostendat. Et haec nimirum in causa sunt, ut exteri non nulli tam male de Lusitanorum Literatura judicarint, veluti Auctor *Saeculi Ludovici XIV*. cap. 38., Heumannus *Conspect. Reip. Liter*. cap. 4. p. 67., Joannes Fridericus Jugler *Biblioth. Histor. Liter*. Jenae 1754. tom. I. cap. V. §. VII.: *Lusitani, mercaturae faciendae potissimum intenti, pauca olim in Literarum studiis praestiterunt.. Imperante tamen Joanne V., institutae sunt Academiae Literatae... hisque effectum est, ut nunc majori fervore Musarum castra sequantur, eorum licet conatus parum adhuc genio saeculi respondeant .... Maxime placet his studium historicum ... Disciplinas philosophicas vix mediocriter adtingunt propter praecisam sentiendi libertatem ... Adde ... ubi de Logica Abbatis Verneii, a stulto quodam Lusitano perperam explosa.*

Haec Jugler per summam rerum nostrarum inscitiam comminiscitur: namque ignorat magna illa ingenia, quae saeculo XVI. sub Emmanuele ad Sebastianum usque Regem in omni Literarum genere floruerunt, Historicos, Poëtas, Oratores, Philologos, Theologos, Jurisperitos, quorum gloriam nulla unquam aetas obscurabit; ignorat felicem Literarum in Lusitania periodum, quae non ad Joannem V., Regem Fidelissimum, sed ad Emmanuelem invictissimum, ejusque successores ad Philipporum usque dominationem, referenda est (§. LXXXV.). Enimvero Joannes V. novas Academias instituit, et, eo imperante, humaniora studia restitui, et Lusitani majorum suorum gloriam aemulari coeperunt; sed rem non perfecerunt: hoc enim erat ad feliciora tempora reservatum. Neque Scriptores, qui, eo regnante, prodierunt, Historici, Oratores, Poetae, Theologi, Jurisperiti, sunt cum veteribus illis Joanne Barrio, Hyacintho Frerio, Ludovico Sousa, Antonio Ferreira,

Hieronymo Osorio, Didaco de Paiva Andradio, Hectore Pinto, Hieronymo de Azambuja, Ario Barbosa, Petro Sancio, Antonio Goveano, ceteris, vel eruditionis copia, vel sermonis, sive Latini, sive Lusitani, elegantia, perspicuitate, vel denique magnarum utilissimarumque rerum scientia comparandi. Unam excipio Philosophiam, quae sero admodum sub Joanne V. in Lusitania invaluit: non enim aliam nisi Peripateticam Lusitani una cum reliquis Europae nationibus olim agnoscebant. Quod si Verneii nostri Logica, quemadmodum reliqua politissimi hominis scripta, a stulto aliquo Lusitano explosa unquam fuit, id illius stultitiae potius, scholae religioni, et partium studio tribuendum, quam Gentis ingenio. Injuria igitur clarissimus Jugler nostros homines adcusare videtur. Jure tamen iidem reprehendendi, quod Literariam Gentis suae historiam, eamque tam egregiam ac praeclaram, tam diu in situ et oblivione jacere patiantur.

## *Theorici.*

§. CXIV. Theoricos, qui augustum Jureconsultorum nomen saeculo XVI., et initio sequentis jure meritoque tuentur, primo loco nominandus est noster Antonius Goveanus, quem multi postea egregii Juris Romani interpretes imitati sunt, proximeque sequuti, veluti Emmanuel a Costa, Arius Pinellus, Oduardus Caldeira, Emmanuel Soarius a Ribeira, Joannes Altamiranus, Ferdinandus Arius de Mesa, et (si Diis placet) Petrus Barbosa, Franciscus Caldas Pereira, Joannes Carvalius, cet.

Antonius Goveanus, a Pace Julia oriundus, in omni literarum genere excelluit. Scripsit *pro Aristotele Responsionem adversus Petrum Ramum; Epigrammatum* libros duo, et *Epistolarum;* et *Enarrationes varias in Virgilium, Terentium et Ciceronem; Porphyrii Isagogen* Latine vertit. De Jure Civili scriptos reliquit ad tit. *de jurisdict. omn. judic.* libros duo: ad tit. *de jur. adcrescend.* librum unum: ad leg. *Gallus* 29. D. *de liber. et postum.: ad leg. Falcid.:* et *Variarum Lectionum* libros duo: qui omnes conjuncte prodierunt Lugduni apud Antonium Vincentium

Digitized by Google

1562., 1564. et 1599., et cum Notis Antonii Contii, Jacobi Raevardi, et Nicolai Belloni Colon. Agripp. 1575. fol. *de jure adcrescendi*, Tolosae 1545. 4., Jenae 1596. 8., et Wormatiae 1611. 12. Nemo ignorat magnum Goveani in Jurisprudentia nomen, et pro illius commendatione satis superque sit referre elogium magni Cujacii in Not. ad Ulpian. tit. 6. verb. *Nec interest* §. 6.: *Antonius Goveanus, cui, ex omnibus, quotquot sunt, aut fuere, Justinianei Juris interpretibus, si quaeramus quis unus excellat, palma deferenda est.* Vid. Heinecc. *de Jacob. Cujac. Obtrectatorib.*

Emmanuel a Costa, Olisiponensis, sub Joanne III. primum Codicis, postea Digesti Veteris, et tandem Primarius Juris Civilis Professor ann. 1555., Goveano coaevus, et non multum ei eruditione, et juris scientia dissimilis, plura de Jure Romano scripta reliquit, quae quantus qualisque vir esset, ostendunt, veluti ad §. *Et quid, si tantum* 5. l. *Gallus* 29. D. *de liber. et postum.*: ad l. *Si ex cautione* 3. Cod. *de non numerat. pecun.*: *Selectarum interpretationum circa conditiones, et demonstrationes, et dies*, libros duo: ad l. *Cum tale* 72. §. *Si arbitratu* 4. D. *de condit. et demonstrat*: *De suo, et alieno postumo Commentaria* in §. *Postumus* 28. Inst. *de legat.*: *De quaestione patrui et nepotis in causa successionis*: ad cap. *Si pater* 1. *de testam.* in 6.: ad l. *Qui duos* 9. §. *Cum bello* 1. D. *de reb. dub.* Quae omnia seorsum primum, et conjuncte postea prodierunt Lugduni apud Philippum Tinghi Florentinum 1576. fol., et Salmanticae 1584. fol. 2. vol. Ad calcem hujus secundae editionis subjungitur ejusdem *Oratio funebris in exsequiis Serenissimi Portugalliae Regis Joannis III. ex Academiae Conimbricensis instituto anno Salutis* 1557. *habita*: *De Conimbricensis Academia a Serenissimo Lusitaniae Rege Joanne III. feliciter instituta, Carmen*: *Ad Joannem, et Joannam, Principes Lusitaniae Serenissimos, Proteus, Carmen*, Olisip. 1553.

Costam proxime sequuntur Arius Pinellus (Lusitane *Ayres Pinhel*), Conimbricensis, Vespertinus Juris Civilis professor ann. 1556., nec non Benedictus Pinellus, fratris filius, Olisiponensis. Ille scripsit: *De bonis maternis* commentaria, et ad rubricam, et l. 2. Cod. *de rescindend. vendit.* Post varias editiones prodierunt Salmanticae apud Mathiam Gast. 1573. fol., et Antuerpiae 1621. fol. Hic vero, apud Pisanam et Pragensem Academiam publicus

Digitized by Google

Legum Professor, edidit, *Selectarum Juris interpretationum*, *conciliationum*, *ac variarum resolutionum* librum singularem, Venet. 1618. fol., Lugduni 1670., et 1680. 4. Plura de utroque Pinello habent utraque *Bibliotheca Hispana*, et *Lusitana*, et Juglet tom. I. cap. V. §. VII.

Oduardus Caldeira, Olisiponensis, quatuor libros, eosque egregios, *variarum juris lectionum*, et totidem *de erroribus Pragmaticorum* scripsit, qui tandem conjuncte prodierunt Antuerpiae apud heredes Martini Nutii 1612. (habentur tom. 3. *Thesaur.* Meerm. pag. 551.)

Emmanuel Soarius a Ribeira, a Pace Julia oriundus, librum singularem *Observationum Juris* edidit, Lugduni apud Claudium Servatium 1652. 8. (habetur tom. 5. *Thesaur.* Meerm. pag. 561.), itemque *Thesaurum receptarum sententiarum utriusque Juris, quas vulgus communes opiniones vocat, in Alphabeti seriem digestarum*, Venet. 1569. 8., Coloniae 1593. 8., *Adnotationes ad Antonii Gomezii Variarum resolutionum libros*, Venet. 1586. 4., *Adnotationes breviores marginales ad Arii Pinelli*, *Praeceptoris olim sui*, *Commentarios in rubricam*, *et* l. 2. *Cod. de rescind. vendit.*, Venet. 1580., Colon. Agrip. 1572. 8. Fuit Graece Latineque adprime doctus, et in libris Jureconsultorum, sive Graecorum, sive Romanorum, versatissimus: saepius Cujacium, cujus hospes in Italia fuit, confutat, ut in primis videre est ex cap. 21. *Observat.*, ubi de emendatione Cujaciana ad l. *Fulcinius* 7. §. 13. D. *Quib. ex caus. in poss. eat.*, et ex cap. 31. ad l. 8. D. *de verbor. obligat.* agit. Cujacius saepius nostrum carpit, et in eo reprehendendo integrum caput 17. lib. 9. *Observat.* impendit. Vid. Heinecc. *de Jacob. Cujac. Obtrectatorib.* tom. 3. Syllog. III. edit. Gen. 1748. pag. 233.

Joannes Altamiranus in *Commentariis ad priores XIII. lib.*, *et XX. Quaest. Q. Cervidii Scaevolae* (habentur apud Meerm. *Thesaur.* tom. II. pag. 369.), editis Cervariae typis Academicis 1739. 4., Cujacium, quem sibi in tractatu ad Africanum imitandum proposuit, si non aequavit, proxime tamen sequutus fuit. Non multum ei genio ac eruditione distat Ferdinandus Arius de Meza, ab oppido, quod *Estremoz* dicimus, oriundus: scripsit *variarum resolutionum*, *et interpretationum juris* libros tres, Neapoli 1643., Genevae 1658., Lugduni 1672. fol. Hi vero omnes certe sub Cujacianorum Jureconsultorum nomine veniunt: quare non eisdem temere admiscendi Petrus Barbosa, Franciscus

Digitized by Google

Caldas Pereira, Joannes Carvalius; fuerunt tamen magni nominis Scholastici, et quidem praestantissimi.

## *De variis Academiae Conimbricensis Juris Civilis Professoribus.*

§. CXV. Atque hi omnes scripta vulgarunt sua. Sed fuerunt praeterea eodem saeculo XVI., et initio sequentis egregii apud Conimbricenses Professores non nulli de Romanorum Jurisprudentia optime praeclareque meriti, prout ei facile constabit, qui illorum privatas et ineditas, quas pronuntiarunt, recitationes legerit. Hos inter familiam veluti ducunt Hector Rodericius, Gundisalvus Vazius Pintus, Gabriel a Costa, Franciscus Caldeira, Ruy Lopes da Veiga, cet.

Ignatius a Costa Quintella catalogum edidit Olisipone apud Antonium Pedrosum ann. 1738. Academiae Antecessorum, qui ad singulos utriusque Juris titulos scripserunt, eumque inscribere non dubitavit: *Bibliotheca Jurisconsultorum Lusitanorum:* an recte, tu videris; nihil enim aliud continet praeter illorum nomina, et titulorum, legumque, quas interpretandas susceperunt, recensum. Franciscus Leitanus Ferreira *Notit. Chronologic. Academ. Conimbr.*, Olisip. 1729. fol. (habentur tom. 9. *Collect. document. Academ. Reg. Olisipon.*), pauca de Academiae Professoribus tradidit; non enim ab anno 1288. initium anni 1537., quo Joannes III. Academiam ab Olisipone in Conimbricam transtulit, praetergreditur. Franciscus Carneirus Figueiroa doctissimas et uberiores *Academiae Conimbricensis*, cujus ipse dignus Rector fuit, *Memorias Chronologicas* scripsit, quibus plura, eaque non vulgaria, continentur.

Hector Rodericius Olisipone, a qua oriundus fuit, Jus Civile magna cum celebritate docuit. Academia postea in Conimbricam translata anno 1537., Codicis Professor creatus fuit ann. 1543., Digesti Veteris 1546., Vespertinus 1559., posthabito illius competitore Petro Barbosa. Scripsit inter alia ad l. 76. D. *de adquir. hered.* Honorificam illius

mentionem faciunt Franciscus Caldas Pereira, ejusdem auditor, in l. *Si curatorem* 3. *de in integr. rest. minor.* verb. *Laesis* n. 47., et *Oper. Emphyt.* p. 1. quaest. 1. n. 35., p. 4. cap. 10. n. 30., Mend. a Castr. in l. *Cum oportet* 6. Cod. *de bon.*, *quae liber.* 1. p. n. 70. 71., Carval. ad cap. *Raynaldus* 18. p. 4. n. 61.

Gundisalvus Vazius Pintus, Eborensis, Olisipone Jus Civile per triginta circiter annos professus, illud quoque Conimbricae publice docere coepit ab anno 1537. Commentarios scripsit ad l. *Unum ex familia* 67. §. 1. *de leg.* 2., et ad fere omnes Infortiati titulos, itemque ad Regias Emmanuelis Ordinationes. Illius nomen extollunt Gama *Decis.* 147., 174. et 307., Fragos. *de Regim. Reipubl.* p. 1. l. 4. disput. 9. n. 43., Resend. *in Oration. ad Academ. Conimbr.*, Barbos. in *Remiss. ad. Ord.* lib. 4. tit. 92.

Gabriel a Costa, Professor Institutionum nominatus anno 1557., Codicis 1559., Digesti Veteris 1563., Vespertinus 1566., Primarius 1576., scripsit ad l. 1. *de adquir. vel amitt. possess.*, ad l. 79. *de adquir. vel omitt. hered.*, ad l. 3. *Quod quisque juris*, ad tit. *Inst. de action.*, et ad §. *Postumorum* 2. Inst. *de exheredat. liber.*, ad l. 1. et 2. *de verb. obl.*, l. 33. *de re judic.*, l. 15. *de donat.*, l. 28. *de legat.* 2., ad tit. *solut. matrim.*, *de condit. et demonstr.*, *de condict. indeb.*, *de nov. oper. nuntiation.*, *de reb. credit.*, *de reb. dub.*, et ad tit. Cod. *de impon. lucrat. descript.*

Antonius a Cugna, Institutionum Imperialium Professor ann. 1583., et Vespertinus 1598., scripsit ad tit. *de adquir. rer. domin.*, ad tit. Cod. *de alend. liber.*, ad l. 3. Cod. *de apoch. public.*, *de capiend. et distrahend. pign. tribut. caus.*, *de incol.*, *de caduc. tollend.*, *de jur. fisc.*, *de servitut*, ad tit. *de except.*, *de hered. inst.*, *de legat* 2., *de public. judic.*, *de usucap.*, et ad l. 1. 2. seq. usque ad l. 15. *de re judic.*

Franciscus Caldeira, Olisiponensis, Primarius Juris Civilis, Salmanticensis professor, et Conimbricensis sub Philippo III. ann. 1606., scripsit ad l. 12. §. *Nihil commune* 1. D. *de adquirend. vel amitt. possess.*, ad l. 61. *de fidejuss.*, l. 31. *de jurejur.*, l. 7. *de pact.*, l. 2. *de reb. credit.*, ad tit. *de condition. et demonstr.*, *de condict. indebit.*, *de servit.*, *de solution.*, *et de vulgar. et pupill. substitut.* Illius non sine laude meminerunt Phoeb. 1. p. *Decis.* 35. n. 8. Gabr. Per. *Decis.* 76. in fin.

Ruy

Digitized by Google

Ruy Lopes da Veiga, Conimbricensis, celebris Thomae Pinheiri da Veiga parens, Institutionum Professor an. 1569., Codicis 1571., Digesti Veteris 1576., Vespertinus 1581., et Primarius tandem 1590., de jure multa egregie scripta reliquit, veluti ad tit. D. *de act. empt.*, ad tit. *Inst. de act.*, ad l. 37. *de adquir. her.*, l. 1. §. *Permittitur* 41. *de aqua quot. et aestiv.*, ad tit. Cod. *de collat.*, ad l. *ultim. de condiction. caus. dat. caus. non. sequut.*, ad tit., et ad l. 71. *de condit. et dem.*, *de condict. indeb.*, ad l. 2. *de Decurion.*, l. 3. §. ult. *de eo, quod cert. loc.*, ll. 2. 4. 5. 8. *de reg. jur.*, ad tit. Cod. *de testib.*, *de legat.* 1., l. 24. *eod.*, *de verbor. oblig.*, et ad tit. *de reb. dub.* Illius nomen celebrant Caldas in l. *Si curatorem* 3. verb. *Minoribus* n. 43., Carval. ad cap. *Raynaldus* 18. p. 4. n. 177., Per. *Dec.* 3. n. 13., Phoeb. tom. 2. *Decis.* 115. n. 13.

Fuerunt hi omnes, et alii fortasse, sed pauci admodum, boni Juris Romani interpretes. Simplicem dicendi et disserendi viam adamarunt, et a nimia in disputando subtilitate ac prolixitate abstinuerunt. Qui eos exceperunt, veluti Antonius Pereira Cugna, *Subtilis* nuncupatus, Martialis Casadus, Franciscus Barretus Froes, Michael Ferdinandius Andradius, ceteri, longe diversam viam ingressi, subtilitates, argutias, antinomias, et sexcenta alia in deliciis habebant, veritates notissimas impugnabant, et quamvis inter disserendum egregia multa tradidissent, ea tamen nullo ordine, et confuse effutiebant, in id scilicet potissimum intenti, ut, sexcentis undique corrasis argumentis, et metaphysicis quibusdam rationibus excogitatis, ingeniosi viderentur. Hi homines inter nos, dicam enim fidenter quod sentio, scholasticam ad Romanorum Jurisprudentiam traduxerunt, eamque, quod illorum pace dicam (maneat de cetero unicuique sua auctoritas), interpretationibus suis non tam explicarunt, quam obscurarunt, et magis implicatam intricatamque reddiderunt.

## *Et Canonici.*

§. CXVI. Jus vero Canonicum eodem saeculo non sine laude, eaque eximia professi sunt Joannes Morgovejus, Bartholomaeus Philippus, Christophorus Joannes, Ludovicus Correa.



Digitized by Google

Joannes Morgovejus, Vespertinus Juris Canonici Professor ann. 1543., Primarius 1555., cujus non sine praefatione meminit Caldas *de nominat. emphyt.* quaest. 7. n. 40. in fin., scripsit *Tractatum de Bullis et indulgentiis*, ad cap. *Cum haberet* 5. *de eo, qui dux. in matr.*, ad tit. *de perjur.*, et ad tit. *de rest. spoliat.*

Bartholomaeus Philippus, Olisiponensis, publicus sub Joanne III. Decreti Professor 1547., Vespertinus 1554., inter alia, quae referre otium non est, optimum *de fictionibus* tractatum edidit Salmanticae 1536. 4., Repetitionem in can. *Scindite corda vestra* 33. *de Poenit.* dist. 1., Olisip. apud Ludovicum Rodericum 1539. 4. Illius nomen extollunt Covarruv. *de Matrim.* 2. p. cap. 3. §. 5. n. 8., Faria *Imperio de la China* 2. p. cap. 4., Hieronymus Cardos. *Epistol.* 22. ad eumdem data, Pinell. *ad rubric.* Cod. *de bon. matern.* 2. p. n. 36. in fin.

Christophorus Joannes, Conimbricensis, Clementinarum Professor anno 1578., Sexti 1579., Decreti 1581., Vespertinus 1586., scripsit tractatum *de supplenda negligentia Praelatorum* ann. 1579., et ad cap. *Grandi* 2. eod. in 6., *de Sacramento matrimonii* 1581., *de judiciis* 1593., 1594., et 1595., *de fide instrumentorum* eod. ann., *de foro competenti*, in Clementinas ad tit. *de sequestratione*, in Decretales ad tit. *de mutuis petitionibus*, *de testamentis et ultimis voluntatibus*, *de precariis*, *de secundis nuptiis*, *de successionibus ab intestato*, *ut lite pendente nihil innovetur*, *de sententia et re judicata*, ad rubric. *de commodato*, et ad tit. *de confessis*. Ejus nomen celebrant Macedus *Lusit. Liberat.* l. 1. cap. 14. n. 46., et in *Flor. Hispan.* cap. 8. Excell. 9., Caldas *de Jur. Emphyt.* p. 4. cap. 17. n. 20., Pereira *Decis.* 61. n. 3.

Ludovicus Correa, Olisiponensis, prout habet Barbosa *Biblioth. Lusit.*, vel Eborensis, ut sibi persuadet Franciscus Carneirus de Figueiroa *Memor. Academ. Conimbr.*, Sexti Professor 1572., Decreti 1579., Vespertinus 1582., Primarius 1586., quem multis commendant Caldas in l. *Si curatorem* 3. verbo *implorare* n. 45., Macedus *Flor. Hisp.* cap. 8. Excell. 9., Pereira *de Man. Reg.* p. 1. praelud. 3. n. 6., inter alia scripsit ad tit. X. *de advocat.*, *de adulter.*, *de alienat. judic. mut. caus.*, *de adpellat.*, *de caus. poss. et propr.*, *de Cler. non resid.*, *de commod.*, *de empt. et vend.*, *de except.*, *de fide instrumentor.*, *de jud.*, *de ord.*

Digitized by Google

*cogn., de poen. de procur., de jur. patr., de privil. de probat., de praescript., de in integr. rest., de rest. spoliat., de rescript., de sent. et re jud.*, ad cap. *Bona fides* 2. *de depos.*, ad cap. *Sacris* 5. *de his, quae vi*, et in 6. ad tit. *de elect., de for. comp., de haeret., de reg. jur.*, et tractatus *de usuris, de correctione fraterna, de eleemosyna, de jurisdictione ecclesiastica et saeculari.*

Hi omnes, si non germani Canonistae, optimi tamen Decretalistae erant, et certe elegantia orationis, ordine, et perspicuitate vel ipsis celebrioribus postea interpretibus Ludovico Ribeiro a Leyva, Primario tandem ejusdem Canonici Juris Professori creato anno 1627., Gundisalvo Alvo Godinho anno 1640., Antonio Leitano Homem 1653., ceteris, praeferendi, quorum non nulli materias canonicas vel nimium exiliter ac jejune, vel copiosissime aliorum, et sine ullo delectu et ordine explicant, non nulli eas omnino negligunt, et civiles, laureolam quasi inde quaerentes, tractandas suscipiunt, veluti Antonius de Gouvea Sousa, qui occasione cap. ult. *de condition. adposit.* universum fere titulum D. *de condit. et demonstrat.* explicavit, et Emmanuel a Costa Almeida, qui capiti 1. *de testam.* in 6. integrum *de substitutionibus* tractatum inseruit.

## *Pragmatici.*

§. CXVII. Pragmaticos inter, qui Consultationum, Decisionum, Dubitationum, Resolutionum Forensium, Adlegationum, Observationum, Practicarum libros scripserunt, primatum obtinet Alvarus Valascus: eidem tamen proxime accedunt Melchior Phoebus, Antonius a Gama, Georgius Cabedus, Gabriel Pereira. Aliquantulum inferiori loco sunt Michael Reinosus, Thomas Valascus, Antonius de Sousa Macedus, Emmanuel Themudus, Felicianus de Oliva, et alii, quorum longum esset catalogum inire. Speciali tamen memoria dignus est Emmanuel Mendes a Castro, qui optimam *Practicam Lusitanam* edidit.

Scriptores hi omnes notissimi sunt, et inter omnium manus versantur, multaque de eis sub uniuscujusque nomi-

ne tradit Barbosa *Biblioth. Lusit.* Quare de illorum nos dumtaxat in practicam jurisprudentiam meritis, quod ille more suo omisit, pauca dicemus.

Alvarus Valascus certe inter omnes consulatum fere sine collega gerit. Cum Institutionum Imperialium sub Joanne III. ann. 1556., et tandem sub Sebastiano Primarius Juris Civilis Professor esset, praeter ea, quae in Academia pronuntiavit (pronuntiavit autem multa, veluti ad tit. Cod. *de inofficios. donat.*, ad tit. Cod. *de edend.*, ad tit. D. *de legat.* 2. a princ. usque ad l. 17., ad l. 28. *eodem*, ad tit. Cod. *de jur. fisc.*, ad Authentic. *Ex causa* Cod. *de liber. praeterit.*, ad tit. Cod. *de pactis*, *ad tit.* Cod. *si quis aliq. testar. prohib.*, ad tit. Cod. *de conveniend. fisc. debit.*, ad l. 98. et 177. D. *de reg. jur.*), scripsit, et typis vulgavit egregias, et bonae frugis plenissimas *Consultationes*, *et rerum judicatarum in Regno Lusitaniae Decisiones*, *Praxim partitionum et collationum secundum Jus Regium Lusitaniae*, *Quaestiones juris emphyteutici*, quae, post varias editiones seorsum editas, conjuncte prodierunt Francofurti 1650. fol., Conimbricae 1684. et 1752., Coloniae 1731.

Inferioris ordinis est Thomas (*Thomé*) Valascus in suis *super varias materias Allegationibus.* Proxime tamen Alvarum sequutus fuit Antonius a Gama, et Melchior Phoebus in suis *Decisionibus*, a quibus non longe, sed aliquantulum distant Michaël Reinosus in *Practicis Observationibus*, et Antonius Mendes Arouca in *Juris Allegationibus.*

Antonius de Sousa Macedus magis in re historica et politica, quam juris scientia excelluit. Gabriel Pereira Lusitanarum legum et consuetudinum peritissimus fuit: illius *Decisionum*, et *de Manu Regia* libelli praeclara multa continent: verum, si dicendum quod res est, ipse, ut jam monui [§. XLVII. Not. (*a*)], raro admodum ad fontes adsurgit, neque utriusque Potestatis Ecclesiasticae et Saecularis limites bene probeque cognoscit: bonus interim Jureconsultus, sed melior Poëta; illius namque poëma, *Ulyssea* inscriptum, absolutissimum est, et in eo magnum Camonium vel superat, vel exaequat.

Emmanuel Mendes a Castro *Practicam Lusitanam omnibus utroque foro versantibus utilissimam* scripsit, quae semel et iterum, et demum Conimbricae prodiit ann. 1736. una cum illius tractatu *de Annonis Civilibus*, et Commen-

Digitized by Google

tariis ad l. *Cum oportet* 6. *de bon.*, *quae liber*. Nullam certe aliam hac meliorem practicam habemus; illius auctor non contemnendo prorsus ordine, et mira simplicitate Praxim ecclesiastici et saecularis fori, tum civilis, tum criminalis, prosequitur, et praecipuas quotidianasque quaestiones clare dilucideque resolvit. Quare longe ipse multumque superat Gregorium Martinium Caminham, qui sub Joanne III. non negligendum omnino *de libellorum formulis* librum scripsit.

Ad Emmanuelis Mendes exemplum initio saeculi XVII. Amator Rodericus inter alia scripsit *tractatum de modo et forma videndi et examinandi processum in causis civilibus*, Matriti apud Alphonsum Martinum 1609. 4., Francofurti 1615. 8.; Benedictus Cardosus Osorius *Praxim de patronatu Regio et saeculari*; Antonius Lopesius Leitanus *Praxim finium regundorum*; Antonius de Payva Pona *Orphanologiam practicam*; sed non sunt profecto cum Emmanuele Mendes comparandi. Inferiori et humiliori loco, et veluti in sentina sedent Antonius Vanguervius in *Practica Judiciali*, Alexander Caietanus Gomesius in *Manuale Practico* (non vero in *Dissertationibus*), et Emmanuel Lopesius Ferreira in *Practica Criminali*. Meliori loco et sorte dignus est Matthaeus Homem Leitanus, qui utilissimos tractatus scripsit *de Gravaminibus*, *Securitatibus*, et *de Inquisitionibus*.

Felicianus de Oliva saeculo XVII. tractatum *de foro Ecclesiae* scripsit, et Emmanuel Themudus *Decisiones Senatus Archiepiscopalis Olisiponensis*. Sed praeterquam quod non possint Conventus Senatusve alicujus Ecclesiastici decisiones, neque Jus ipsum Canonicum ullam in civili foro auctoritatem habere, non fuerunt certe hujusmodi homines iis luminibus praediti, ut possent, quae Dei, quaeve Caesaris sunt, pro dignitate judicare.

Qui vero nostra aetate libri prodierunt, ne ut nominentur quidem digni sunt, veluti *Annotationes*, seu *Additiones* cujusdam Silvestri Magallanii ad Matthaeum Homem Leitanum *de Jure Lusitano*, Emmanuelis Alvares Ferreirae tractatus *de novorum operum nuntiatione*, Augustini de Bem Ferreirae *Summa Institutionum*, Francisci de Almeida *Ars Legalis*, et Antonii de Lima in *articulos Gabellarum* Commentaria. Excipio Joannem Cordeirum, qui initio hujus saeculi anno 1713. Olisipone edidit *Dubitationes in foro frequentiores* non prorsus contemnendas, Didacum Guer-

Digitized by Google

reiram, cujus *de munere Judicis Orphanorum*, et *de recusationibus omnium judicum* tractatus, et *Decisiones, Quaestionesque Forenses* magno certe usui esse possunt, itemque Silvestri Gomes Moralis *de Executionibus* tractatus, qui praeclara multa continent. Denique, ut multa paucis concludam (et haec est cogitationum mearum summa), quo magis auctores nostri, sive theorici sint, sive practici, a saeculo XVI., et ab Emmanuelis, Joannis III., et Sebastiani Regis tempore recedunt, ad nosque propius adcedunt, eo minore in pretio habendi sunt.

Frustra tamen quis in hujusmodi auctoribus, in iis etiam, qui melioris notae sunt, quaeret Latini sermonis elegantiam, frustra rectum tractandarum rerum ordinem, frustra quod a tricis non nullis abstineant, et frustra demum quod in Legum nostrarum historiam, origines, fontes, et in verum genuinumque illarum sensum, pro eo ac debent, serio inquirant. Ubique non modo Romani Juris, Publici Universalis, Naturalis et Gentium, sed etiam Lusitani cum Publici, tum Privati ignorantiam produnt, et ostendunt, se nihil minus, quam veros Jureconsultos esse. Non tamen ab omnibus aeque peccatum est: sed alii aliis meliores sunt, ut supra diximus. Plures recensere ex consulto omitto, ne in immensum libellus hic noster excrescat; tam multi enim sunt, tantaque copia, ut eorum mole obruamur, et utinam non nullis caruissemus; hi enim homines, et sui similes implicatam et Romani, et Lusitani Juris Scientiam reddiderunt.

Quia vero nullus tam malus liber est, ut non nulla bona contineat, ex illorum stercore aurum colligi potest. Nam primum in iis adinvenias forenses usus et consuetudines, quotidianas in foro quaestiones, controversias, et casus singulares, multarum Legum Extravagantium notitiam, multarum intelligentiam, de iisque doctissimorum hominum suffragia, Senatorum deliberationes, decisiones, et Senatusconsulta, et praxim denique, usumque judicandi: quae omni certe maximo tibi usui et et adjumento esse possunt. Neque tamen iis temere credendum: sed eorum rationes ad Lydium lapidem, id est, ad verae interpretationis regulas a te erunt semper exigendae, neque committendum, ut tibi illorum unquam auctoritas imponat.

Digitized by Google

## De Regiarum Ordinationum interpretibus.

§. CXVIII. Enimvero Pragmatici omnes Lusitanas Leges hinc inde illustrare conati sunt, et more suo interpretari. Ex professo tamen, et secundum librorum et titulorum seriem ad Regias Ordinationes Remissiones, Notas et Commentaria scripserunt sub finem saeculi XVI. Emmanuel Barbosa; saeculo XVII. vergente, Emmanuel Alvares Pegas; et nostra aetate Emmanuel Gundisalvus Silvius, Pantaleon Araujus Guerra, Maurus Ludovicus de Lima.

Antonius Correa de Sá, melioribus Jurisprudentiae temporibus natus, illusque publicus sub Joanne III. Professor, et Regius Domus Supplicationis Senator, scripsit *ad tit.* 1. *Ord. Emman. lib.* 5. *de ordine judiciario in causis criminalibus Commentaria*, quae saepius allegat Barbosa ad eamd. Ord. tit. 2. §. 6., et tit. 117., et 124. in princ., Gama *Decis.* 279. n. 1. et 363. n. 4., Caldas *Consil.* 23. n. 5., et Cabed. p. 1. *Decis.* 14. n. 4. Ea vero hodie si exstarent, et si praeterea illorum auctor reliquis Ordinationum titulis ornandis curam impenderet, facile hodiernis interpretibus carere possemus; et ita nimirum ex saeculi genio conjicere licet. Omitto Gundisalvum Vasium Pintum, qui saeculo XVI.; et Ferdinandum de Abreu Fariam, Joannem Pintum Ribeirum, Christophorum Alanum Moralem, D. Alphonsum Emmanuelem Menoetium, qui saeculo XVII., et initio sequentis ad Ordinationes nostras scripserunt: eorum namque Commentaria, quorum meminerunt Ordinationum interpretes, et *Bibliotheca Lusitana* variis in locis, publicam nunquam viderunt lucem. Itaque de iis tantum, quorum scripta nos vidimus, loquamur.

Emmanuel Barbosa non contemnendas certe *Remissiones* et *Notas* ad singulos Ordinationum libros scripsit, quibus ad lib. 4. et 5. *castigationes*, et *additamenta* sua subjecit celebris Augustinus Barbosa, ejus filius. Breviores, fateor, hujusmodi Notae sunt, nec rem satis illustrant; sed tamen non minimi certe usus esse possunt, et vel ipsa

Digitized by Google

brevitate sua immensis, quae postea prodierunt, voluminibus anteferendae. Editae primum fuerunt apud Petrum Crasbeeckium Olisipone 1618. 1620. 1681., et Conimbricae apud Benedictum Seccum Ferreiram 1730.

Emmanuel Alvares Pegas praeter tractatum *de competentiis inter Archiepiscopos, Episcopos, et Nuntium Apostolicum*, Lugduni 1675., et Olisipone 1728.: praeter sex *Resolutionum forensium* volumina, Olisipone 1628. 1671. 1702. 1721. 1734. 1735. 1736.: praeter tractatus *de exclusione, inclusione, successione, et erectione majoratus*, ibidem 1686.: praeter Opuscula *de majoratus successorio interdicto, seu de ordine procedendi in causis majoratus possessionis et proprietatis*, 1695.: praeter Opusculum *de alternativa Beneficiorum provisione, Sede Papali plena*, 1697. et 1728., et varias *Juris Allegationes*; scripsit *ad Ordinationes Regni Commentaria*, quae decem supra quatuor tomis fol. continentur, Olisipone editis ab ann. 1669., quo primus prodiit, ad annum usque 1703., quo decimus quartus editus fuit. Sed vix quidquam tantorum librorum auctor egregium praestitit, fremat licet forensium et semidoctorum hominum turba. Neque necesse est, ut illius ego naevos percurram; ii namque adeo manifesti sunt, ut facile in omnium oculos incurrant: et nimirum confusionis, obscuritatis, et similia scriptionis vitia cum aliis communia habet; proprium vero ejusdem est, quod Deliberationes Senatorum, Decisiones Supremi Senatus, et inferiorum quoque Magistratuum Sententiae ac Pronuntiationes utramque faciant paginam, quasi si non legibus esset, sed exemplis judicandum. Enimvero magnus, sed in forensi tantum regno, Pegas multas, easque quotidianas in foro, quaestiones pertractat (nec enim dissimulandum hoc est), et non nulla de forensi stilo et praxi satis bona et utilia disputat; sed tam pauca haec sunt in tanto librorum numero et magnitudine, ut non possint cum improbo eos legendi labore compensari.

Emmanuel Gundisalvus Silvius *Commentaria ad Regni Ordinationes* edidit tribus tomis Olisipone ann. 1731. 1732. 1733. Incepit ubi Pegas desiit, nempe tit. 13. lib. 3.: sed non ultra tit. 35. lib. 4. progressus fuit. Ipse vero non egregius admodum scriptor est, neque saepe multum Regias Ordinationes illustrat; sed simplicem fere illarum decisionem proponit, et vix quidquam praeterea addit. Quare non erit profecto cum Pegas, vel Romani, vel Lusitani

Digitized by Google

Juris notitia, vel rerum judicatarum, aliarumve rerum cognitione atque ubertate comparandus. Ejusdem, quinimo multo inferioris ordinis sunt Pantaleonis Arauji a Guerra, et Mauri Ludovici de Lima Commentaria, qui Silviani Operis continuationem suscepit, sed non eam produxit ultra tit. 79. lib. 4.

Hi homines in Jure Patrio ornando vix quidquam egregium praestiterunt; illorum scripta magis oneri, quam ornamento sunt Lusitanae Jurisprudentiae; et, ut verbo tandem dicam, nemo ad hunc usque diem nostrarum Legum Scientiam pro eo ac debet professus fuit, illarumve interpretatione pro dignitate suscepit.

# CAPUT XIII.

## *DE RECTA LUSITANI JURIS INTERPRETANDI RATIONE.*

### *Patrii Juris Hermeneutica.*

§. CXIX. CUm praecipuum Lusitani Jureconsulti munus sit Patrias Leges interpretari, et factis obvenientibus adplicare, nemo jam est in tanta literarum luce, qui non videat, quantum ei non dicam jam utile, sed necessarium omnino sit veram interpretandi rationem cognitam perspectamque habere. Quia vero misero quodam nostrae Jurisprudentiae fato, qui vel eam pro dignitate tractaverit, vel specialem illius Hermeneuticam tradiderit, inveniamus omnino neminem; juvat hac quoque in re periculum facere, et qualemcumque industriam nostram experiri.

His duobus verbis, *interpretatione* scilicet, et *adplicatione* legum, totum quantumcumque est, quod certe ma-

Digitized by Google

rinum est, Jureconsulti officium continetur. Itaque qui veras interpretationis regulas ignorat, quomodo tanti nominis mensuram implebit? Neque Romani Jureconsulti fuerunt prorsus hac tam praeclara scientia destituti, sicut viri non nulli, docti quidem, sed non Juris, crediderunt; qui namque fuerit in Romani Juris lectione vel mediocriter versatus, passim utriusque interpretationis exempla offendet, quorum multa Boehmerus collegit *Exercit. III. ad lib. 1. Pandect.* Scio ego, quod regulae ac definitiones, quae prostant in tit. *de divers. regul. Jur. antiq.*, et *de reb. dub.*, si generaliter, prout concipiuntur, sumantur, saepius fallant, nec negotio cuicumque vel facto applicari possint: sed idcirco eas falsas, aut ineptas judicabimus? Minime. Hujusmodi regulae ac definitiones generales non sunt, ut vulgus interpretum existimat, sed peculiaribus rationibus constant, et suis certis terminis ac limitibus circumscribendae: eas quippe Jureconsulti ex singularum specierum collectione formarunt, et ideó aliquando officium suum amittunt. Jam dudum nobis Jacobus Raevardus, Petrus Faber, Jacobus Labittus, et Jacobus alter Gothofredus, nunquam sine praefatione nominandus, miram regulas juris interpretandi artem ex legum praecipue inscriptionibus, et ejusdem libri fragmentorum collectione petitam commonstrarunt: et cum ipsi quoque Jureconsulti in l. 140. §. 2. *de verb. oblig.*, l. 1. *de regul. Caton.*, et aliis locis expresse profiteantur, regulas ac definitiones suas non in omnibus veras esse, quis non misereatur stupiditatis eorum, qui ubique in foro et scholis eas adlegant in omni et quacumque quaestione?! Vide, sis, Bynkershoek. 7. *Observ.* cap. 18., Henr. Reinold. *de inscription. leg.* §. 5. Igitur Jureconsulti Romani interpretandi artem monstrarunt, et prima Hermeneuticae Juris lineamenta dederunt; sed rem non perfecerunt, neque hac in parte, quod illorum pace dicam, cum recentioribus comparandi. Hugo Grotius (ut Rhetores et Dialecticos ommittam, qui de probabilitate Hermeneutica in genere scripserunt) primus omnium interpretationis doctrinam ad certas, easque pauciores regulas reducere conatus fuit lib. 2. *de Jur. Bell. ac Pac.* cap. 16. Grotium proxime sequuti fuerunt Pufendorfius *de Jur. Natur. et Gent.* lib. 5. cap. 12., et in libello *de offic. homin. et civ.* lib. 1. cap. 17., Christ. Thomasius *Jurisprudent. divin.* lib. 2. cap. 12., et in *Prax. Philosoph. Ration.*, Joann. Gottl. Heineccius in *praefat. ad Jurisprud. Roman. et Attic.* tom. 2. et in *praefat.* ad Bynkershoek. *Observat. Jur. Roman.*, Just. Henning. Boehmerus *Exercit. III. ad Pandect.*, Godefr. Guilielm. Leibnitius *Nov. Method. docend. discendaeque Jurispr.*, Franc. Buddeus *Exercit. de*

Digitized by Google

*ration. veritat. ex alior. script. eruend.*, Bernard. Henr. Reinold. *de optim. discend. docendique Jur. Roman. method.*, Caspar. Henric. Hornius, Valent. Guil. Forsterus *de interpret. Jur.*, quos omnes longe lateque superavit Christ. Henr. Eckhardus *Hermeneuticae Juris* libris duobus Jenae 1750., ac deinde Lipsiae anno 1779. perpetuis Notis Car. Frid. Walchii. (Editio nova auctior et emendatior, curante Car. Wilhelm. Walch, prodiit Lipsiae 1802. 8.)

*Communibus, et propriis regulis constat.*

§. CXX. Ante omnia illud adnotare oportet, specialem Lusitani Juris Hermeneuticam regulas ac definitiones suas cum ex communibus Hermeneuticae probabilitatis principiis, tum ex propriis depromere. Legem enim interpretari nihil aliud est, quam ejus vim, sensum ac potestatem ex ipsius verbis aut ratione declarare: quae igitur generaliter de legum interpretatione traduntur, et de ratione veritatem ex aliorum scriptis eruendi, ad Lusitani quoque Juris intelligentiam commode adplicari possunt; sed sunt tamen specialia non nulla.

*Interpretationis species.*

§. CXXI. Omnis Patrii Juris interpretatio (et haec summa divisio est) vel *Grammatica*, vel *Logica*, *Usualis*, *Authentica*, vel *Doctrinalis* est. *Grammatica* legis sensum ex usu loquendi, et proprietate verborum declarat. *Logica* ex scriptura id, quod non est scriptum, per ratiocinationem inducit. *Usualis* ex praxi, seu consuetudine legis dubiae sententiam explicat. *Authentica* legislatoris, vel cujusvis alterius, cui specialis leges interpretandi facultas data fuit, ex-

Digitized by Google

plicatione nititur. *Doctrinalis*, omnium veluti genus, ea est, quae secundum Hermeneuticae regulas verum legis sensum quaerendo investigat.

*Scire leges*, ut bene docet Celsus l. 17. D. *de legib.*, *non hoc est*, *verba earum tenere*, *sed vim ac potestatem*. His paucis verbis Jureconsultus utramque interpretationem, *Grammaticam* scilicet, et *Logicam*, complectitur; et certe sub earum una, vel altera reliquae, quae vulgo traduntur, interpretationis species continentur. Nec multum opus est minutissimis illis divisionibus in *Rhetoricam*, *Historicam*, *Poëticam*, *Physicam*, *Arithmeticam*, *Geometricam*, *Medicam*, et aliis, quas operose nimis exponit Valentin. Guilielm. Forsterus *de Interpret. Jur.* lib. 1. cap. 4. et 8. Nam hujusmodi divisiones, quae ex rerum diversitate petuntur, sub Grammaticae interpretationibus nomine veniunt, nec interpretandi rationem mutant. Christ. Henr. Eckhard. *Hermen. Jur.* lib. 1. cap. 1. §. 23. in Not. Utriusque vero interpretationis necessitatem in Jure cum Civili, tum Patrio tradendo nemo, ut opinor, hodie est, qui non agnoscat. Utraque olim usi sunt Jureconsulti Romani, sed Grammatica in primis sub libera Republica, et in ea prae aliis excelluerunt Ateius Capito, et Antistius Labeo, teste Gellio *Noct. Attic.* XIII. cap. 10. Servius Sulpicius, a quo humanior Romanae Jurisprudentiae periodus inchoanda, cum artis illius peritissimus esset, quae docet rem universam tribuere in partes, latentem explicare, et regulam denique habere, qua vera et falsa judicantur, primus omnium utramque interpretationem, Grammaticam scilicet et Logicam, felicissimo ausu ad Romanorum leges traduxit. Cicer. in *Brut.* §. 41., Boehmer. *Exercit. III. ad Pandect.* §. 7. Hanc itaque veterum Jureconsultorum, et humaniorum postea interpretum laudem in Jure Civili studeat Lusitanus Jureconsultus in Jure Patrio interpretando aemulari.

## *Interpretatio Grammatica.*

§. CXXII. Cum itaque Grammatica interpretatio, quae legum sensum ex usu loquendi, et verborum proprietate declarat, sit omnino Jureconsulto necessaria; qui Patria jura interpretari ausus fuerit, debet ante omnia an-

Digitized by Google

**tiquas loquendi formulas, vocabula obsoleta, ipsam linguam Latinam, praesertim barbaram, qua in vetustioribus legibus et scripturis utebamur, et ipsius in primis Lusitanae linguae historiam, aetatesque diversas cognoscere.**

Bonus interpres Lusitanas leges, et antiquas, et hodiernas, interpretari debet, easque saepius inter se conferre, atque illarum originem, progressum, et, ut verbo dicam, historiam ostendere. Hae vero leges, cum non eodem die, nec eodem saeculo natae sint, diversa continent vocabula juridica, forensia, quinimo et vulgaria. In *foralium* legibus, in priorum Regum Diplomatibus, Regiisque Epistolis, in Actis et Scripturis publicis, in Comitiis Regni generalibus, et sexcentis aliis a Regni primordiis monumentis, quae tuos semper ante oculos observari debent, passim offendes vocabula obsoleta, monstrosa, et quae jam dudum, et a multis retro temporibus in usu esse desierunt, quae tamen intelligere atque explicare necesse est. Non loquor de cantiuncularum libro Garciae Resendii, inscripto *Cancioneiro*, in quo antiquorum Lusitanorum Poëtarum veluti fasciculus continetur, vel de *Nobiliario D. Petri*, et reliquis, si quae exstant, antiquissimis scripturis, in quibus antiqua vocabula *juso*, id est, abaixo, *toste*, logo, cetera utramque faciunt paginam (neque enim aegre fero, quod his et similibus antiquitatis ruderibus careas). At vero magno tibi certe usui et adjumento erunt Chronica Gomesii Eannes de Zurara, Ferdinandi Lopesii, Roderici de Pina, Garciae Resendii, Oduardi Galvani, nec non Dionysii, Ferdinandi, aliorumque leges vestustissimae, in quibus frequentissima sunt vocabula *Sayoens*, *Infançoens*, *Ricoshomens* (Inst. Jur. Civil. Lusit. lib. II. Tit. III. §§. III. IV.), *prez*, preço, *grado*, vontade, *hereo*, herdeiro, *lidimo*, legitimo, *laidar*, litigar, *revora*, puberdade, cet. Ut quid vero antiqua commemorem, cum in hodiernis quoque Ordinationibus lib. 1. tit. 65. §. 27., et lib. 4. tit. 88. §. 5. inveniatur antiquum verbum *doestar*, hoc est, dolore ex conviciis adficere; lib. 2. tit. 20. §. 1. verbum *despeitar*, despectare; lib. 4. tit. 11. §. 4. vocabulum Arabicum *Alfaqueque*, captivorum redemptor, et *Elche*, qui a Christi fide ad infamem Maurorum sectam defecit; lib. 2. tit. 35. §. 26. vocabulum *façanha*, hoc est, egregium ac insigne *facinus*, quod imitandum proponitur, de quo vid. Oduard. Non. Leon. *Chron. Alph.*

Digitized by Google

IV., Cabed. 2. p. post *Arest.* 106., D. Roder. a Cunha *Histor. Eccles. Olisip.* p. 2. cap. 70. n. 7., *Nobiliarch. Port.* cap. 11.) Omitto vocabula juridica, forensia, censualia, *escambo*, *honra*, *apenhar*, *apégar*, *filhar*, *reguengo*, *sesmaria*, *teiga de Abrahão*, *jugada*, *malação emmenta*, et alia bene multa. Haec vero, et alia plura, non dicam jam explicare, sed ne legere quidem poterit, qui non fuerit in patrum nostrorum lingua, et in ipsa ab eis usurpata scribendi formula., atque in adsidua vetustarum legum, et monumentorum lectione diu multumque versatus.

Multum certe, mihi crede, te in Jure Patrio interpretando juvabit adcuratior Lusitanae linguae cognitio, et vix ac ne vix quidem egregium quidquam unquam praestabis, si illius origines, pueritiam, adolescentiam, et diversas aetates non distinxeris. Optandum foret, ut quemadmodum *Glossaria* exstant *Gothica*, et *Anglo-Saxonica*, Qualia Olaus Wormius, Georgius Stiernhielmus, Henricus Spelmannus, et alii ediderunt, et Innocentius Cironius in elegantissimis *Observationibus Juris Canonici* in quinque libros digestis vocabula obsoleta et obscuriora tum Latina, tum Gothica exposuit, ita et nos *Glossarium* haberemus, quod vocabula Graecae, Romanae, Gothicae et Arabicae originis, quodque antiqua, vulgaria, juridica, forensia, censualia, monetalia, et nova etiam, quibus illorum loco utimur, clare dilucideque explicaret. Sed quamdiu hocce immensi laboris opus, nec unius certe hominis, non adparet, primordiales interim leges, et antiquos Scriptores nocturna diurnaque manu versabis, quorum diversas aetates si probe distinxeris, praeter Patrii sermonis nativam elegantiam, et alias scriptionis virtutes, et pristinam dicendi simplicitatem, quae in Resendio, Damiano Goesio, Joanne Barrio, ut Poëtas et recentiores omittam (non enim haec prosequi instituti mei ratio patitur), maxime elucent, passim observabis, et obsoleta vocabula, a quibus hodierna loquendi consuetudo omnino abhorret, et antiqua, quae in usum revocari possunt, et tandem, quod caput et praecipuum est, civilem ac politicam cujuslibet saeculi vivendi rationem, multarum legum et consuetudinum notitiam, et alia innumera adinvenies, quae, si in privatos usus excerpseris, magnam tibi quondam, cum ad Jura Patria propius interpretanda deveneris, lucem adlatura sunt. Nostrae vero linguae non quidem historiam, sed breves imperfectasque notiones legere potes apud Emmanuel. Far. *Europ. Portug.* tom. 3. p. 4. cap. 9., et

Digitized by Google

in *Comment. ad Camonium* tom. 4. p. 2. pag. 81., Brit. *Chronic. Cistercienſ.* lib. 6. cap. 1., et in *Monarch. Lusit.* lib. 2. cap. 5., Anton. Caiet. Sous. *Adparat. Histor. Genealog.* tom. 1., Barr. *Dial. de laudib. Ling. Lusit.*, Andr. Resend. lib. 1. *Antiq.*, Oduard. Non. Leon. *Orig. Ling. Lusit.*, Joann. Franc. Barret. *Orthograph. Lusit.* §. Ludov. Marin. *de Antiquit. Olisip. Urb.* lib. 1. cap. 13., Emman. Sever. Far. *Notit. Portug.* discurs. 5. §. 2., Maced. *Flor. Hispan.* cap. 22. excell. 7., Castr. *Mapp. Port.* tom. 1. cap. 13.

Non Lusitanae tantum linguae peritia, sed etiam Latino-Lusitanae pro antiquis majorum legibus et consuetudinibus investigandis, ex quibus vix dici potest quantum lucis et splendoris hodiernae leges adcipiant, tibi erit omnino necessaria; quippe non alia majores nostri ad Dionysium usque Regem et in publicis legibus, et in foro, et in privatis scripturis utebantur, *Monarch. Lusit.* 5. p. lib. 16. cap. 2. (§. LVII.), non quod patria haec nostrorum hominum lingua esset a Romanorum dominatione, prout satis jejune conjiciunt non nulli Scriptores supra citati, sed quia Latina lingua, et non vernacula, sola tunc temporis digna habebatur, quae in publicis negotiis et scripturis reciperetur.

### *Ab ea non temere recedendum.*

§. CXXIII. His praesidiis instructus, qui ad legum interpretationem se adcingit, debet a grammatica, seu literali proficisci, et primo inquirere, qua lingua lex sit scripta, dein lectionis veritas restituenda, verborum integritas a corruptelis et mendis, si quae exstant, vindicanda, illorumque vis et significatio ex usu loquendi non populari tantum, seu grammatico, sed etiam ex potestate vocabulorum politica, et Curiae in primis usu declaranda. A literali autem hoc sensu non temere, sed verecunde, et non nisi summa urgente necessitate recedendum.

Digitized by Google

Ex aetate, qua quaelibet scripta lex fuit, communis verborum significatio petenda est; ab ea tamen non nunquam differt usus in foro receptus, et loquendi in Curia consuetudo, praesertim in iis vocabulis, quae denotant Officia Curialia, et honorum titulos, quod pluribus exemplis demonstrarem, si, ut certum, ita necessarium foret. Primordiales Regni nostri leges, Alphonsi scilicet II., III., IV., V., Dionysii, Ferdinandi, Oduardi, et aliorum, itemque *Forales*, seu Municipales, in quibus praecipuus Patriae Jurisprudentiae fundus continetur, in publicis Regni Scriniis, et Cancellariae libris magna cura servantur; non nullae quoque exstant in Ecclesiarum, seu Monasteriorum insigniorum tabulariis, Bracarensis scilicet, Conimbricensis, Vimaranensis, Olisiponensis, Alcobatiensis, et S. Crucis, unde non nullas in libros suos transtulerunt *Monarchiae Lusitanae* Scriptores, et magnus ille *Historiae Regiae Domus Genealogicae* Auctor tom. 1. 2. et sequentib. *Probation.* Verum authenticus solum Codex est, qui vel in Regni Scrinio adservatur, vel Regis invenitur manu subscriptus. Leges vero hujusmodi, et earum Codices cum non semel exscripti sint, ineptus ego essem, si dubitarem plura menda, errores, vitia, mutilationes, interpolationes in eorum exempla librariorum, seu amanuensium incuria, aut ignorantia irrepere posse. Emmanuelis Regis Codice nullum alium certe impressum antiquiorem habemus; is vero non semel typis prodiit: et quis dubitat diversas illius editiones non semper bene inter se convenire? Utrique itaque Codices conferendi, resque erit ad Critices regulas exigenda, quas abunde suppeditant Clericus, Lamyus, Dupinus, Lengletus, Heineccius *Syllog. III. Opuscul. III. de utilit. art. crit. in jurisprud.*, Antonius Genuensis, Verneius noster, ceteri, quorum vel copia obruimur. Pertinent haec omnia ad interpretationem Grammaticam, quam licet non nulli superciliose contemnant, propterea quod verbis, syllabis, ac singulis paene literis adhaereat, et minutis praeceptis atque observatiunculis constet; tamen ego contra existimo, mecumque consentientes habeo totius antiquitatis doctissimos homines, Jureconsultos scilicet Romanos, et Plutarchum, atque Socratem qui apud Platonem in Gorgia pronuntiavit: ὅςις ἄν εἰδῇ τὰ ῥήματα εἴσεται τὰ πράγματα, *quicumque cognoverit verba, cognoscet res*. Haec vero literalis interpretatio ordine cognitionis prima et praecipua est, neque ab ea vel transversum unguem licet discedere, nisi vel ingens inde sequatur absurdum, vel in contrarium sit mens legislatoris; atque ita nimirum sentiunt Buddeus, Forsterus, Ekchardus, ceteri,

qui

Digitized by Google

nimirum sentiunt Buddeus, Forsterus, Ekchardus, ceteri, qui hac de re vel ex instituto, et dedita opera, vel aliud agentes, et in transcursu scripserunt.

## *Interpretatio* Logica.

§. CXXIV. Cum interpretatione Grammatica conjungenda est *Logica*, quae in eruenda legis ratione versatur. Ratio legis ex certis quibusdam principiis demonstratur: itaque Lusitani Jureconsulti est per rectam ratiocinationem ex eisdem colligere, quae mens, quaeve sententia legislatoris fuerit.

Utraque interpretatio arctissima inter se colligatione devincitur, et in utriusque conjunctione et recto usu totum, qua late patet, Jureconsulti officium continetur: semper tamen Logica praeferenda est; *prior* namque *atque potentior est, quam vox, mens dicentis*, quae sunt verba Celsi in l. 7. §. ult. D. *de supell. legat.*, et, ut bene Cicero ait *pro Caecin.* §. 18.: *An non, cum voluntas, et consilium, et sententia interdicti intelligatur, impudentiam summam, aut stultitiam singularem putabimus, in verborum errore versari?* Hujus interpretationis ope Jureconsulti Romani Jurisprudentiam in dies magis magisque ad humanitatem traduxerunt, eaque potissimum utebantur cum se solemnibus illis et conceptis verbis explicabant: *Obtinuit, placet, receptum est, probabile est*, cet. Cum vero hujusmodi interpretatio nequaquam possit a Jurisprudentiae et Jureconsulti munere atque officio separari, quoties leges generaliter omnem interpretationem prohibent, Logicam prohibere non videntur, sed intelliguntur de interpretationibus ineptis, arbitrariis, cerebrosis, quales plerumque esse solent, quae a Bartoli Schola petuntur, vel quando casus adeo singularis est, ut non commode ei possint verba et sententia legis adplicari; atque ita adcipere debemus Ord. lib. 1. tit. 5. §. 5., Emman. lib. 5. tit. 58., Regium Diploma 20. Jun. 1774. §. 41., et providentissimam Josephi I. legem 18. August. 1769. §. 11. Vid. Heinecc. praefat. *Elem. Jur. Civ. secund. ord. Inst.*, et *de prohibita a Justiniano leges interpretandi et illustrandi facultate* tom. 3. *Opuscul. Syllog. IV.*, et praef. *ad Vinn.*



Digitized by Google

## *Unde ea ducatur.*

§. CXXV. Sunt autem principia, ex quibus legum rationes ducuntur: I. nostrarum legum analogia, et loci paralleli (*a*): II. saeculi et legislatoris genius (*b*): III. antiqui et recepti mores (*c*): IV. legis ferendae occasio (*d*): et V. denique Jus Naturale, legum civilium momenta, Historia, et Lusitanarum antiquitatum notitia (*e*).

(*a*) Analogia juris, et loci paralleli, in quibus legislator vel plenius, vel ex instituto simile argumentum prosequitur, et eorum, quae antecedunt, quaeque consequuntur, seria meditatio, quantum juvare possint interpretem pro vera legis sententia eruenda, nemo est, qui non videat. In Romanarum legum interpretatione Jacobus Gothofredus vel invenit, vel planiorem certe ac faciliorem reddidit miram artem conjungendi Jureconsultorum fragmenta, et ex iis genuinum eorum sensum eruendi; in quo quantum momenti positum sit, sciunt profecto omnes, quibus cordi et amori est mascula et germana jurisprudentia. Itaque Jureconsultus Lusitanus, si hoc nomine dignus esse velit, debet similes Ordinationum locos inspicere ac meditari, Philippinum Codicem cum Emmanuelino et Alphonsino conferre, leges Extravagantes Emmanuelis, Joannis III., et Sebastiani (quae prostant in Oduardi Nonii Leoni Collectione), et antiquas praeterea Dionysii et Oduardi semel atque iterum, ac saepius videre, diligenterque inspicere. Ex illarum igitur analogia, nexu, *parallelismo*, facile systema quoddam Juris Patrii, et principium aliquod generale adinveniet, quo possit ea, quae nondum expresse constituta, vel satis clare definita sunt, judicare. Et hoc veluti Ariadnaeo filo ductus, ut plura exempla omittam, qui Alphonsi II., III., V., Dionysii, Ferdinandi, Joannis I., et aliorum, *amortizationum* legum verba, spiritum mentemque investigarit, statim prima facie, et uno oculorum obtutu intelliget leges novissimas 4. Jul. 1768., et 12., Maii 1769. illarum tantum declarationem esse, nihilque praeterea superaddere ab illarum verbis, mente ac sententia alienum; et eis nimirum certe carere poteramus, si earumdem ferendarum occasionem non dedissent tot ineptae Pragmaticorum interpretationes, quae nescio an risum magis, quam stomachum moveant.

Digitized by Google

(b) Saeculi deinde et legislatoris genius, et intimum supremumque illius Consilium inspiciendum. Itaque leges, Sebastiano Rege et Philippo II. regnante, latae, quae tot nova privilegia Ecclesiasticis concesserunt, ex hujus politica, et ex illius genio, et intimi Consilii debilitate intelligendae. Sic ex anterioribus legibus, ex Comitiorum actis, et Concordiis facile unusquisque videt intelligitque quae sententia Regum fuerit in legibus condendis, et quale tunc temporis primarium in Jure Patrio principium regnaret: neque enim illud deturbant capita non nulla, quae Ecclesiasticorum postea factionibus mutata sunt, semper enim in eis relucet legis spiritus. Quare in hujusmodi legum interpretatione ad mentem magis et sententiam, et ad primarium illud Juris Patrii principium, quam ad Comitiorum, seu Concordiarum verba et literam respectus habendus est, et credendum, quod multa in iis scripta exstant praeter Regis voluntatem, quae quidem pro saeculi genio, temporisve ratione, et pro summa, quae tunc erat, Juris Publici ignorantia interpretari debes.

(c) In ambigua quoque legis sententia *optima interpres est consuetudo*, prout bene ait Callistratus in l. 37. D. *de legib.* Quare diuturni et longaevi mores, usus, consuetudines, quae bona ratione nituntur, et legibus naturalibus, aut civilibus non adversantur, et quae a centum annis et ultra jam retro obtinebant (ita nimirum in hac parte, explosis vulgarium doctorum opinionibus, Jurisprudentiam certam fixit Lex Josephina 18. Aug. 1769. §. ult.), interpretationem usualem constituunt, a qua recedere non licet.

(d) Occasio legis ferendae ab illius causa justifica, et praetextu secernenda: utrumque tamen inspiciendum, ut locus fiat interpretationi *Declarativae*, *Extensivae*, vel *Restrictivae*. Rem vel uno exemplo declarabo. Petri II. Regium Diploma 25. April., et 20. Septembr. 1674., quo prohibitum fuit, et quidem sub gravissimis poenis, ne Conimbricae Scholastici talare pallium capiti imponerent, cum eidem occasionem dedissent Scholasticorum illius temporis factiones et motus, hodie locum habere non potest, nec ad hodiernos studiosos, sobrios, bene morigeros, et multum illis virtute, sapientia moribusque dissimiles, extendi. Facile quoque ex mente, occasione, et causa justifica testamentariae legis 25. Jun. 1766., et 9. Septembr. 1769. unusquisque inferre potest: *Primo*, successionem legitimam favore, testamentariam odio esse prosequendam: *Secundo*,

Digitized by Google

in dubio interpretationem fieri debere contra testamentum: *Tertio*, e Republica esse successionem testamentariam vel omnino eliminare, vel angustis admodum limitibus circumscribere: *Quarto*, legitimis ab intestato heredibus praeteritis, aut invitis, non modo testamentum, verum etiam donationem mortis causa nullius esse momenti; *Quinto*, donationes ipsas inter vivos, venditiones, vel alterius cujusvis generis alienationes sub saluberrimae istius legis sententia comprehendi, modo aperte, et evidentissimis conjecturis demonstrari possit in fraudem illius, et in odium legitimorum heredum fuisse factas. Sed haec profecto, dum istius legis capita omnia stabant ac vigebant (Inst. Jur. Civil. Lusit. lib. III. Tit. V. §. XXX.).

(*e*) Vehementer fallitur, et oleum et operam perdit, qui sine adsiduo Juris Naturalis et aequitatis studio, sine Juris Lusitani Historia, et adcurata rerum nostrarum, praesertim civilium, cognitione, ad sacrum Patriae Jurisprudentiae templum pervenire conatur. Itaque, quae in genere, et de Jure Civili disputant Franciscus Balduinus *de institutione historiae, ejusque cum Jurisprudentia conjunctione*, Antonius Schultingius *de Jurisprudentia historica*; Joannes Barbeyracius Oratione *de conjungendis Jurisprudentia et historiarum studiis*, et alii viri doctissimi, ea omnia ad Lusitanam Jurisprudentiam et possunt, et debent adplicari (§. I.).

### *Jus Patrium a peregrino distinguendum.*

§. CXXVI. Quia vero Lusitanorum leges plura ex Jure peregrino, Gothico, Hispanico, Romano, et Canonico commixta habent, debet interpres in horum Jurium cognitione non mediocriter esse versatus, Lusitanum a peregrino distinguere, et utrumque ex suis fontibus, propriove foro interpretari, tandemque sibi persuadere nullum Jus praeter Lusitanum in foro, nisi quatenus receptum est, auctoritatem habere.

Jam alibi (§. XXVIII.) vidimus Lusitanos saeculo VII. a Recessuindi Regis tempore non alio, quam Gothorum, jure usos fuisse: itaque plures etiam leges hodie inter nos vigent,

Digitized by Google

quae Gothis originem debent. Ordinatio lib. 4. tit. 82. in princ., quae parenti facultatem dedit de *tertia* bonorum disponendi, Gothica est, et in eorum Codice lib. 4. tit. 5. l. 1. reperitur. Ordinatio quoque alia eod. lib. 4. tit. 88. §. 1., quae concedit, ut possit filia a parente exheredari, quae, eo invito, se in matrimonium collocavit, ex Gothorum Codice lib. 3. tit. 2. l. 8. arcessenda est. Mitto alia exempla. Dionysius Rex leges *Partitarum*, saeculo XIII. ab Alphonso X., Castellae Rege, latas, Lusitane verti jussit, quod non alio consilio fieri potuit, nisi ut ex iis egregia non nulla delibaret, quae ipse in leges suas pro re nata postea transferret. Celeberrima lex 40. *Tauri* in Ord. lib. 4. tit. 100. in princ. descripta exstat. Omitto alia exempla, quae ex legibus *Fuero Real de España* nuncupatis duci poterant; neque enim dubitare fas est vel ex sola loci vicinitate, quod plures Hispanorum scriptae leges, et consuetudines in jura nostra manarint. Sed nihil profecto magis Lusitanam Jurisprudentiam turbavit, quam Juris Romani receptio. Ex quo enim illud primum in foro opera Joannis ab Aregis, dein in Academia sub Dionysio publice doceri coepit, Patriae leges pristinam simplicitatem pedetentim amiserunt, et adeo Lusitanis hominibus prae Romanis ignobiles visae sunt (tanta nimirum erat in eorum leges veneratio, ne dicam superstitio), ut parum abfuerit, quin eis omnino nuntium remitterent. Adoptarunt ergo statim Lusitani Romanas de testamentis, legatis, fideicommissis et substitutionibus leges, et alias, quas recensere necessum non est. Eodem fere tempore ordo judiciarius, et plura alia e Jure Canonico petita in leges nostras irrepserunt.

Ut igitur bene possit Lusitanus Jureconsultus haec omnia explicare, debet in utroque jure non mediocriter esse versatus, illorumque interpretationem petere ex proprio utriusque fonte et foro, id est, ex ipso Jure Romano, vel Canonico, et iis omnibus subsidiis atque regulis uti, quae pro germana Canonici, Romanive Juris intelligentia ab utriusque humanioribus politioribusque interpretibus traduntur. Cum vero saepe Lusitanae leges a Romanis discrepent, caveat interpres, ne utrasque confundat: et mihi credat, non semper a Romanis Patria jura pendere; inutilem laborem esse utraque in suavem quamdam harmoniam velle redigere, et oleum tandem atque operam perdere, ridendumque se aliis praebere, qui bonorum communionem inter conjuges, qui fideicommissa perpetua, et illustria gentium pacta de bonis avitis extra familiam non alienandis, et id genus sexcenta alia ex jure Romano

Digitized by Google

explicare contendit. Igitur *locus ipse notus sit, ex quo ducatur quaeque pars juris*, ut bene ait Cicero II. *de Legib.* §. 18.

Omne jus civile ad statum Civitatis adcommodatum sit oportet. Distinguat ergo interpres Romana et Patria jura; in naturales eorum et politicas rationes inquirat; nostrae Reipublicae statum cum eis conferat: et tunc de recto juris Romani usu judicabit. Sapientissimam Josephi I. legem 18. Aug. 1769. legat saepius et relegat, et in succum ac sanguinem convertat: ipsa, ut alia multa, ita in primis eum edocebit, jus Romanum nullam in foro auctoritatem, nisi quatenus receptum est, habere: illud vero receptum eatenus esse, quatenus rectae rationi, vel hodiernis cultiorum gentium moribus, antiquis Regni legibus et consuetudinibus, vel denique civilium rationum momentis, et praesenti rerum statui non adversatur.

### *Interpretatio Authentica.*

§. CXXVII. Haec de interpretatione Logica, et ejus adminiculis. *Authentica*, quae illius etiam, et quidem nobilior species est, majore nititur auctoritate; quippe vim legis habet, nec cujusvis studiorum suorum fiduciam habentis, quemadmodum *Doctrinalis*, sed summi tantum in Republica Imperantis propria est, eorumve, quibus specialis data fuit leges ipsas interpretandi facultas.

In eo ab aliis authentica interpretatio differt, quod vim legis habet, eaque proprio quodam jure majestatico summo Imperanti competit. Casp. Ziegler. lib. 1. *de jurib. majest.* cap. 6. §. 10. Jam dudum Dionysius declaravit illius tantum esse legem interpretari, et verum ejus sensum explicare, ut habetur in Ord. Alph. lib. 2. tit. 14., qua prohibetur, ne Clerici, nisi de licentia Regis, bona immobilia emant. Oduardus et Alphonsus V. legem *Mentalem* non semel interpretati sunt, Ord. lib. 2. tit. 35. §. 9. et sequentib. Recentiora exempla omitto, ea quippe nemo internos ignorat. Proxime, et secundum Regem leges in Lusitania authentice interpretandi facultas supremo Justitiae Consilio, quod Domum Supplicationis adpellant, ab Joannis I., vel

Digitized by Google

certe Emmanuelis Regis temporibus data fuit. Hanc auctoritatem et honorem Senatui omnium amplissimo Emmanuel primus vel dedit, vel adseruit, Ord.Emm. lib.5. tit. 58.§.1., et Philippinus Codex lib. 1. tit. 4. §. 1. et tit. 5. §. 5., et eamdem denique confirmavit saepius dicta Josephina lex 18. Aug. 1769. §§. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Itaque quae a supremo hoc Consilio pro vero legis sensu eruendo in casu ambiguo atque obscuro consulta, deliberatave fuerint, non minorem, quam lex ipsa, auctoritatem habere videntur. Cave tamen, ne Curiae cujusvis vel Auditorii praxim, seu, ut aiunt *stylum*, et multum minus res ipsas judicatas cum hujusmodi authenticis interpretationibus confundas; et ne credas supremum Justitiae Olisiponensem Senatum communibus Doctrinalis interpretationis regulis immunem.

## *Quando omnis cesset interpretatio.*

§. CXXVIII. Omnis tamen interpretatio cessat, et interpretis officium, vel quando lex adeo est clara et manifesta, vel quando adeo obscura, et difficilis explicatu, ut ejus genuinus sensus nequaquam possit ex supradictis principiis derivari.

Quando lex est generalis, clara, perspicua, manifesta, nulla fingenda, aut admittenda exceptio, in quo maxime peccant scholastici, perniciosissimum genus hominum, qui in rebus et etiam ante oculos positis tot ineptissimas interpretationes, limitationes, distinctiones, et ampliationes comminiscuntur. In vera etiam legis obscuritate, non ficta, non adfectata, sed evidenti et manifesta, interpretatio privato ausu facta nulla est, et summam praeterea in interprete impudentiam, stultitiam, temeritatemque demonstrat. Consulendus itaque Princeps, cujus solius est similes leges authentice declarare; neque Senatus alicujus, ut ut supremi et amplissimi, tantus honor est, et auctoritas tanta, ut possit vel interpretationem legis menti contrariam dare, vel legem omnino obscuram atque ambiguam interpretari. Et in hoc vel maxime inter se differt Juris Romani et Patrii interpretatio, quod in Romano, jam dudum emortuo, audaces interpretationes tolerantur, et quandoque necessariae esse videntur; in Patrio autem, vivo et spirante, nequaquam.

Digitized by Google

## *Forensis Jurisprudentiae aetates.*

§. CXXIX. Haec cum ita sint, jam facile est ad intelligendum, quantum in media luce caecutiant vulgares interpretes, qui ad literarum elegantiorum nomen exhorrescentes, juris omnem auctoritatem, et interpretationis regulas, vel ex sordidis Glossatorum lacunis (*a*), vel ex communibus auctorum opinionibus (*b*), vel ex rerum saepius judicatarum (*c*) momentis potius, quam ex genuino fonte, haurire, et, frugibus inventis, glande vesci malunt.

(*a*) Jurisprudentiae forensis tria tempora distingui oportet, seu omnia tristia et miserrima: Glossae nimirum, Communium Doctorum opinionum, et rerum denique saepius judicatarum momenta, auctoritas et exempla. Mich. Henric. Gribnerus *Selector. Opuscular. Jur. Publ.* tom. 4. Sect. 2. *de observant. Collegior. Juridic.* Fuit tempus, quo Glossa unice in foro regnabat, et ab ea, tamquam ex tripode, responsa petebantur; illius auctoritatem Jason in lib. 3. *de justit. et jur.*, et Raphael Fulgosius lepidis verbis (§. LXXIII.) commendant in l. *Si in solutum* 6. Cod. *de oblig. et act.*; et nimirum ea tanta erat, ut et rationem vinceret, et legem. Glossatorum igitur est, non Juris Civilis, *judicii possessorii* cum *petitorio cumulatio*, quod testes possint recipi ante litem contestatam, et inquiri *ad perpetuam rei memoriam*, et quod filius fidei commisso gravatus duplicem quartam *legitimam*, et *Trebellianicam* possit deducere. Martinus contra juris civilis rationem, teste Accursio in l. 16. Cod. *de jud.*, primus induxit, ut omnis et quicumque judex, etiam ordinarius, recusari possit: ab eodem, ejusque aequalibus fluit doctrina de bonis domicilium constituentibus, jure civili prorsus incognita. Omitto brevitatis gratia plura alia exempla, quae passim notant viri eruditi August. a Leyser. *Meditat. ad Pandect.*, et Boehmer. *de Jur. Ecclesiast. Protest.* toto fere lib. 2. et *Exercit. III. ad Pandect.* §. 10., et XVII. §. 9., Anton. Schulting. *de recus. judic.* cap. VI. §§. 7. et 15., cet. Glossatorum has opiniones Innocentius III, *audax Jurisperitus*, prout a Matthaeo Parisiensi vocatur in *Histor. Anglic. ad annum* 1200. pag. 197., et certe

Digitized by Google

magis in eorum, quam in Juris Romani librorum lectione versatus, nec non alii Summi Pontifices contra vel praeter germani juris civilis rationem adoptarunt in cap. 5. X. *ut lit. non contest.*, cap. 4. *de confirmat. util.*, *vel inutil.*, capp. 16. et 18. *de testament.*, cap. 39. *de off. et potest. Judic. deleg.*, cap. 14.: *de for. compet.* Ex iis non nulla Regiae Ordinationes expresse probarunt, veluti receptionem testium ante litis contestationem, lib. 3. tit. 55. §. 7., et omnium Judicum, etiam ordinariorum, recusationem, eod. lib. tit. 21. Usus autem forensis omnia indiscriminatim recepit. Quia vero Glossatores, qui tot saeculis forense Regnum occuparunt, a cunctis erant literarum artiumque praesidiis destituti, non poterant eorum interpretationes non esse falsae plerumque, ineptae vehementerque jejunae.

Distinguat ergo oportet Jureconsultus Lusitanus, quid ex Jure Romano, et quid ex sordida hac Glossatorum officina in Jus nostrum manarit; eorum controversias, contentiones, sectas, praecipue inter Martinum et Bulgarum agitatas, intelligat (vid. Brunquell. prolus. *de sect. et controv. Jur. Just. interpret.*, *quos glossatores adpellam*, §. 5. et seq.); et praejudicatas demum illorum opiniones sub examen saepius revocet; et, expensis omnibus, quae huc facere videntur, serio diligenterque inquirat de generali, specialive horum jurium in foro recipiendorum ratione, et diu multumque cogitet, an, salva Patrii Juris pristina simplicitate, et hodiernis legibus, in praesenti rerum statu retineri possint. Haec de Glossa, et prima forensis jurisprudentiae aetate.

(b) Secunda, quae eam excepit, in *communibus* Doctorum *opinionibus* fundatur, multo idcirco miserior et calamitosior. Pro iis internoscendis, et magis in dies magisque firmandis, malo publico prodierunt *Thesaurus Opinionum Communium* Francofurti 1571. fol., Leandri Galganetti *Communium opinionum Juris Syntagma* Augustae Taurinorum 1595. fol. 4. tom., Anton. Gabrielli *Communes Opiniones* Francof. 1574. fol., Hieronymi de Cevallos *Speculum aureum Communium contra Communes Opiniones* Coloniae 1664. fol., et alii fortasse hujusce farraginis ineptissimi perniciosissimique libelli. Vix enim dici potest, quae et quanta mala ex opiniosa hac jurisprudentia oriantur, quae scilicet justitiam, et litigantium jura non ex justis regulis, neque ex legum rationumque momentis, sed ex praejudicio auctoritatis, ex Scriptorum numero, et ex nescio qua extrinseca, uti vocant, probabilitate definit. Hoc autem

immane ac potentissimum opinionis regnum, quemadmodum reliquas artes atque scientias, ita Romanam in primis et Patriam Jurisprudentiam sub sua diu potestate ac servitute habuit. Illius horrores ac portenta in Jure Civili jam alii demonstrarunt, veluti Anton. Faber, et noster Oduardus Caldeira *de error. Pragmat.*, Henric. Cocceius in *Dissert. de eo, quod just. est in dub.* sect. 4. §. 2., Thomasius in *Oration. de ver. et fals. jurisprud.*, Schilter in *Exercit. Jur. Rom.* 38., Herman. Vulteius in *jurispr. forens.*, Boehmer. *Exercit.* 10. *ad Pandect.* §. 17., Heineccius *Sylloq. I. Exercit. XIV. de JCtis semidoctis*, Mich. Henr. Gribnerus *Select. Opusculor. Jur. Publ.* tom. 4. sect. 2. *de observant. Collegior. Juridicor.*, Henning. Rennemannus *de abusuum, et quorumdam Opinionum Communium, quae jurisprudentiae praxim forensem conspurcarunt, sanitatibus.*

(c) Non multum ab hac differt ultima forensis jurisprudentiae periodus, quae, spretis omnibus, in sola rerum judicatarum auctoritate innititur. Nimirum ea praecipua est nostrorum Advocatorum cura, cum aliquid de jure dicendum habent, ut libros *Forensium* Emmanuelis Alvares Pegas, et aliorum immensa Practicarum volumina evolvant, in iis sollicite ac diligenter inquirentes non legem, quae facto adcommodari possit, neque veram illius genuinamque rationem, sed casum tantum aliquem judicatum *in terminis*, ut loquuntur, *terminantibus*, quem si invenerint, confestim se viros industrios, ac eximios Jureconsultos profitentur, et tantum sibi, tamque pusillo fundamento tribuunt, ut certam suo clienti victoriam audeant polliceri. Non minima, fateor, est rei judicatae auctoritas; sed meminisse hos homines oportebat, legibus esse, non exemplis judicandum, ut bene ait Justinianus in l. 13. Cod. *de sentent. et interloc. omn. judic.*, et Proculus in l. 12. D. *de offic. praesid.*

### *A Scholasticorum interpretationis regulis abstinendum.*

§. CXXX. Hae sunt, ni fallor, rectae Lusitani Juris interpretandi rationes, quibus si bene, et prout oportet, utaris, absurdas et ineptas judicabis Scholasticorum regulas: *Leges Patrias esse ex jure communi interpretandas: cor-*

Digitized by Google

*rectorias Juris Civilis Romani restringendas: odiosa limitanda; favorabilia amplianda:* et sexcenta alia, quae in primis Cardinalis Mantica *de conjecturis ultimar. voluntat.*, et *de tacitis et ambiguis conventionib.*, et sui similes tradiderunt.

Quantum non dicam jam frigidae atque ineptae, verum etiam falsae, hujusmodi regulae sint, ex paucis, quae hoc capite disputavimus, adparet. Patria jura non debent ex jure, quod vocant *commune*, sed ex proprio fonte et foro interpretari. In correctoriis Juris Civilis nulla alia est interpretandi ratio, eaque pro re quoque nata modo *extensivam*, modo *restrictivam* interpretationem admittunt. *Favorabilium* et *odiosorum* adcurata nulla definitio est. Thomas. *Inst. Jurisprud. divin.* lib. 2. cap. 12. §. 159. et sequentib., Titius *Observ.* 42., Barbeyrac. ad Pufend. *de Jur. Nat. et Gent.* lib. 5. cap. 12. §. 12. et sequentib., Heinecc. ad eumd. *de offic. hom. et civ.* lib. 1. cap. 17. §. 9., et ad Grot. lib. 2. cap. 16. §. 10. Sed haec omnia, et similia, partim ex Juris Romani ignorantia, partim ex nimia illius veneratione oriuntur, quam non immerito *superstitionem juridicam* adpellat Aug. a Leyser. in peculiari Dissert.: *De superstitione juridica.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# TABULA

Titulorum concordantium Codicis Philippini, Emmanuelini, et Alphonsini, cui in Notis adcedunt aliae Extravagantes, a quibus non nulli Philippini Codicis tituli hausti, locive alii ducti videntur. Auctore Francisco Freirio Mellio.

## LIBER I.

Codicis Philippini continet titulos 100., Emmanuelini 78, Alphonsini 72.

| Tituli Codicis Philippini. | In Codice Emmanuelino. | In Codice Alphonsino. |
|---|---|---|
| 1 | 1 | 1 |
| 2 | 2 | 2—(1) |
| 3 | 3 | 4—(2) |
| 4 | 30 | 2—(3) |
| 5 | 1, lib. 5. tit. 58. | 0—(4) |
| 6 | 4 | 4, 7—(5) |
| 7 | 5 | 5—(6) |
| 8 | 6 | 5 |
| 9 | 7 | 6—(7) |

(1) C. L. (*) p. 1. tit. 1.
(2) C. L. p. 1. tit. 4.
(3) C. L. p. 1. tit. 2.
(4) C. L. p. 1. tit. 5.
(5) C. L. ibid., et Regim. 27. Jul. 1582. Vide Ord. Alph. lib. 3. tit. 90., et lib. 5. tit. 98.
(6) C. L. p. 1. tit. 6.
(7) C. L. p. 1. tit. 7.

(*) *Hae Notae Collectionem Leonis designant.*

Digitized by Google

| Tituli Codicis Philippini. | In Codice Emmanuelino. | In Codice Alphonsino. |
|---|---|---|
| 10 | 0 | 0—(8) |
| 11 | 9 | 7—(9) |
| 12 | 11 | 9—(10) |
| 13 | 11 | 9—(11) |
| 14 | 0 | 0—(12) |
| 15 | 12 | 0 |
| 16 | 0 | 0—(13) |
| 17 | 14 | 60 |
| 18 | 15 | 0—(14) |
| 19 | 13 | 10 |
| 20 | 13, 35 | 10 |
| 21 | 16 | 11 |
| 22 | 17 | 12 |
| 23 | 18 | 14 |
| 24 | 20 | 15, 16—(15) |
| 25 | 23 | 18 |
| 26 | 21, 36 | 0—(16) |
| 27 | 0 | 0—(17) |
| 28 | 0 | 0—(18) |
| 29 | 0 | 0—(19) |
| 30 | 22 | 17 |
| 31 | 24 | 19, 21 |

(8) C. L. p. 5. tit. 1.
(9) Vide Ord. Alph. lib. 3. tit. 90., et lib. 5. tit. 98.
(10) C. L. p. 1. tit. 9.
(11) C. L. p. 5. tit. 1. l. 1. §§. 9. 11.
(12) C. L. p. 1. tit. 3. Vid. Ord. Emm. lib. 1. tit. 2. §§. 7. 8. 25. 28. 31. 33., et lib. 3. tit. 1. §. 1.
(13) C. L. p. 1. tit. 14.
(14) C. L. p. 1. tit. 35. Vide Ord. Alph. lib. 1. tit. 5. §. 26. seq.
(15) C. L. p. 1. tit. 22.
(16) C. L. p. 1. tit. 28.
(17) Vide Ord. Emm. lib. 1. tit. 4. §§. 16. 17., tit. 20. §. 5., tit. 35. princ., tit. 60. §. 31., Alph. eod. lib. tit. 16. §. 5.
(18) C. L. p. 1. tit. 25.
(19) C. L. p. 1. tit. 23.

Digitized by Google

| Tituli Codicis Philippini. | In Codice Emmanuelino. | In Codice Alphonsino. |
|---|---|---|
| 32 | 25 | 20 |
| 33 | 27 | 22, 32 |
| 34 | 28 | 33 |
| 35 | 29 | 0—(20) |
| 36 | 30 | 0—(21) |
| 37 | 31, 32 | 0—(22) |
| 38 | 0 | 0—(23) |
| 39 | 0 | 0—(24) |
| 40 | 0 | 0—(25) |
| 41 | 33 | 0—(26) |
| 42 | 0 | 0 |
| 43 | 0 | 0—(27) |
| 44 | 35 | 0 |
| 45 | 36 | 0 |
| 46 | 37 | 0 |
| 47 | 0 | 0—(28) |
| 48 | 38., lib. 5. tit. 55. | 13, lib. 3. tit. 22., lib.5.tit.64.—(29) |
| 49 | 0 | 0—(30) |
| 50 | Lib. 2. tit. 35. | Lib.2.tit.58—(31) |
| 51 | 0 | 0—(32) |

---

(20) Regim. 27. Jul. 1582.
(21) Id. Regim.
(22) Id. Regim., et 1. 5. Novembr. 1586.
(23) L. 27. Jul. et 26. Novembr. 1582., et Ord. Emm. tit. 5., et 33. §. 3.
(24) L. 27. Jul. et 26. Novembr. 1582., et 5. Novembr. 1586., et Ord. Emm. tit. 32.
(25) L. 27. Jul. et 26. Novembr. 1582., et 9. Mart. 1596., et Ord. Emm. tit. 7.
(26) L. 27. Jul. 1582.
(27) Vide Ord. Emm. titt. 12. et 34.
(28) L. 16. April. 1586., et 17. Febr. 1594.
(29) C. L. p. 1. tit. 21.
(30) C. L. p. 1. titt. 10. 11.
(31) C. L. p. 1. tit. 15.
(32) C. L. p. 1. tit. 13. Vid. Ord. Emm. lib. 5. tit. 113.

| Tituli Codicis Philippini. | In Codice Emmanuelino. | In Codice Alphonsino. |
|---|---|---|
| 52 | 0 | 0—(33) |
| 53 | 0 | 0—(34) |
| 54 | 0 | 0—(35) |
| 55 | 0 | 0—(36) |
| 56 | 0 | 0—(37) |
| 57 | Lib. 5. tit. 105. | 0 |
| 58 | 39 | 23—(38) |
| 59 | 40 | 0 |
| 60 | 41, 42. | 24 |
| 61 | 43 | 72 |
| 62 | Lib. 2.tit.35. | Lib.2.tit.7.art.93., tit. 58., lib. 4. tit. 96., 104.—(39) |
| 63 | Lib. 2. tit. 35. §. 25. | 0—(40) |
| 64 | Lib. 2.tit.35. | 0 |
| 65 | 44 | 26., lib. 5. tit. 34., 59.—(41) |
| 66 | 46 | 27., lib. 4. tit. 21., 24, et 64. |
| 67 | 45 | 23. §. 43. seq., tit. 28., lib.3.tit.125 |
| 68 | 49 | 28 |
| 69 | 50 | 29 |
| 70 | 51 | 29 |
| 71 | 52 | 0 |

---

(33) C. L. p. 1. tit. 12.
(34) C. L. p. 1. tit. 38.
(35) C. L. p. 1. tit. 27.
(36) C. L. p. 1. tit. 29.
(37) C. L. p. 1. tit. 34.
(38) Ord. Alph. lib. 1. tit. 25., C. L. p. 1. tit. 17.
(39) Regim. 27. Septembr. 1514., C. L. p. 1. tit. 16. Vide Ord. Alph. lib. 4. tit. 41.
(40) Regim. 27. Septembr. 1514.
(41) C. L. p. 1. tit. 18. Vide Ord. Alph. tit. 25., et lib. 3 tit. 38.

Digitized by Google

| Tituli Codicis Philippini. | In Codice Emmanuelino. | In Codice Alphonsino. |
|---|---|---|
| 72 | 53 | 28. §§. 9. 10. 12. 20. 22. 23. |
| 73 | 54 | 0 |
| 74 | 55., lib. 2. tit. 44., lib. 5. tit. 53. | 62 |
| 75 | 56., lib. 5. tit. 54. | 23. §. 50.seq., tit. 30., lib.5.titt. 62.75. 76. 77. 102. et 111. |
| 76 | Lib. 5. tit. 89.... | 0—(42) |
| 77 | 58., lib. 5. tit. 54. | 34., lib.5.titt.93. 105. 106. |
| 78 | 59 | 37. 47.48.—(43) |
| 79 | 60 | 48 |
| 80 | 59.60., lib.4. tit.51. | 47.48. 49., lib. 4. tit. 66. |
| 81 | 0 | 0—(44) |
| 82 | 61 | 0 |
| 83 | 62 | 40 |
| 84 | 63 | 35.36. 38. 39. 42. |
| 85 | 59. §§. 30. 31.32., tit. 60. §. 31. | 0 |
| 86 | 65 | 41., lib. 5. tit. 35. —(45) |
| 87 | 66 | 43 |
| 88 | 67 | 26.§.33.seq.,lib.4. titt.87.89.90.91. 93.112—(46) |
| 89 | 68 | 39.§.4.seq.,tit.48. §. 9. |
| 90 | 69 | Lib. 4. tit. 94. |
| 91 | 70 | 44. 46.— (47) |

(42) Ord. Alph. lib. 2. tit. 36., lib. 5. tit. 47. §. 8.
(43) Vide Ord. Emm. lib. 1. tit. 64., Alph. lib. 2. tit. 34.
(44) L. 4. Jul. 1585., 5. Octobr. 1591.
(45) C. L. p. 1. tit. 30.
(46) C. L. p. 1. tit. 19. Vide Ord. Alph. lib. 4. tit. 41.
(47) C. L. p. 1., tit. 24.



Digitized by Google

| Tituli Codicis Philippini. | In Codice Emmanuelino. | In Codice Alphonsino. |
|---|---|---|
| 92 | 71 | 45 |
| 93 | 72 | 0—(48) |
| 94 | 73.74. §. 4. | 0 |
| 95 | 0 | 0 |
| 96 | 74 | Lib.4.titt.8.et 23. |
| 97 | 74., et tit. 20. §. 33. | 0—(49) |
| 98 | 75 | 0 |
| 99 | 76 | 0 |
| 100 | Lib. 3. tit. 8. princ.. | 0 |
| Ad nov. Regim. | Curiae Palat. 27. Jul. | 1582. — (50) |

(48) L. 18. Maii. 1472.
(49) C. L. p. 1. tit. 39.
(50) C. L. p. 1. tit. 4., Regim. 1. Jun. 1549.

# LIBER II.

Codicis Philippini continet titulos 63., Emmanuelini 50., Alphonsini 123.

| Tituli Codicis Philippini. | In Codice Emmanuelino. | In Codice Alphonsino. |
|---|---|---|
| 1 | 1 | Lib. 3. tit. 15. |
| 2 | 3 | 0 |
| 3 | 2 | 0—(1) |
| 4 | 3. §. ult. | Lib. 3. tit. 15. §. 3. |
| 5 | 4 | 8 |
| 6 | 0 | 0—(2) |
| 7 | 6 | 11 |
| 8 | Lib. 1. tit. 4. §. 7. | Lib. 5. tit. 27—(3) |
| 9 | 0 | 0—(4) |
| 10 | Lib. 5. tit. 47. | Lib. 2. tit. 7. art. 85, lib. 5. tit. 28. |
| 11 | 13—(5) | 0 |
| 12 | 0 | 0—(6) |
| 13 | 0 | 0—(7) |
| 14 | 0 | 0—(8) |

(1) Vide Ord. Alph. lib. 3. tit. 15. §. 27.

(2) C. L. p. 2. tit. 2. l. 12.

(3) C. L. p. 2. tit. 2. l. 13.

(4) C. L. p. 2. tit. 2. l. 13. §§. 5. 6. 7. 8., Provis. 18. Mart. 1578.

(5) Editionis 1514., nam a posterioribus abest haec legislatio, contra juris antiqui rationem introducta lege Emmanuelis Caesaraugustae data 1 Aug. 1498., quae habentur apud Leonem p. 5. tit. 3. l. 12. Vide Ord. Alph. lib. 2. tit. 2. artic. 6. 10., tit. 6. artic. 10., tit. 7. artic. 17. 18. 19., et tit. 21.

(6) C. L. p. 2. tit. 3., et p. 5. tit. 3. l. 14.

(7) C. L. p. 4. tit. 12. ll. 1. 4. 5. Vide Ord. Alph. lib. 2. tit. 7. artic. 87., et tit. 12.

(8) L. 18. Decembr. 1516. apud Leonem p. 4. tit. 12. l. 2., et Dipl. 23. Decembr. 1587. Vide Ord. Alph. lib. 2. tit. 5. artic. 32., tit. 7. artic. 87., et tit. 12.

| Tituli Codicis Philippini. | In Codice Emmanuelino. | In Codice Alphonsino. |
|---|---|---|
| 15 ......... | 0 ............. | 0 —(9) |
| 16 ......... | 7 ............. | 13., et tit. 7. art. 30. |
| 17 ......... | 7. §. ult. ........ | 13 —(10) |
| 18 ......... | 8 ............. | 14. 15., et tit. 2. art. 2., tit. 7. artt. 29. 89., et lib. 4. tit. 48. |
| 19 ......... | 9 ............. | 16 |
| 20 ......... | 10 ............. | 18 |
| 21 ......... | 11 ............. | 19., et tit. 7. art. 80., tit. 17., et lib. 5. tit. 45. |
| 22 ......... | 11. §. 1. ........ | 19. §. 1. |
| 23 ......... | 12 ............. | 20 |
| 24 ......... | 13 ............. | 30 |
| 25 ......... | 14 ............. | 2 |
| 26 ......... | 15 ............. | 24., et lib. 5. tit. 79. |
| 27 ......... | 45 ............. | 0 |
| 28 ......... | 45 ............. | 0 |
| 29 ......... | 34 ............. | 55 |
| 30 ......... | 32 ............. | 46 |
| 31 ......... | 33 ............. | 56 |
| 32 ......... | 22 ............. | 32 |
| 33 ......... | 16 ............. | 29. 35. |
| 34 ......... | Lib. 5. tit. 96. ..... | 0—(11) |
| 35 ......... | 17 ............. | 0 |
| 36 ......... | 17 ............. | 0 |
| 37 ......... | 47 ............. | 0 |
| 38 ......... | 18 ............. | 0 |
| 39 ......... | 20 ............. | 25., 26., et lib. 3. tit. 44. |

(9) Dipl. 27. Maii 1516. apud Leonem p. 4. tit. 12. l. 3. Vide Ord. Alph. lib. 2. tit. 5. artic. 32., tit. 7. artic. 87., et tit. 12.

(10) Vide Ord. Alph. lib. 2. tit. 27.

(11) C. L. p. 5. tit. 6. Vide Ord. Alph. lib. 2. tit. 2. artic. 5.

Digitized by Google

| Tituli Codicis Philippini. | In Codice Emmanuelino. | In Codice Alphonsino. |
|---|---|---|
| 40 | 20. §. 5. | 0 |
| 41 | 19 | 25 |
| 42 | 0 | 0—(12) |
| 43 | 23 | 38 |
| 44 | 49 | 0 |
| 45 | 26 | 39.40. 63., et lib. 5. tit. 112. |
| 46 | Lib. 4. tit. 41. | 0—(13) |
| 47 | 27 | Lib.5. tit. 84. §§. 8.11. |
| 48 | 40 | 65.,et lib.3.tit.50. |
| 49 | Lib. 5. tit. 69. | Lib.5.tit.95--(14) |
| 50 | 36 | 60. 61. 62. |
| 51 | 30 | 43.51.(15) |
| 52 | 31 | 53., lib. 3. tit. 95. |
| 53 | 0 | 52—(16) |
| 54 | 24 | 48 |
| 55 | 0 | 0—(17) |
| 56 | 21 | 30 |
| 57 | 25 | 45 |
| 58 | 39 | 64—(18) |
| 59 | 43 | 64 |
| 60 | 38 | 63—(19) |
| 61 | Lib. 5. tit. 105. §. 2. | 0 (20) |
| 62 | 0 | 0 |
| 63 | 29 | 122 |

(12) C. L. p. 5. tit. 9.
(13) Vide Ord. Alph. lib. 4. tit. 8. et 23.
(14) Vide Ord. Alph. lib. 2. tit. 59. §§. 8. 25. 28., tit. 60. §§. 5. 6. 7. 8. 9 10. 11.
(15) L. C. p. 4. tit. 15.
(16) C. L. p. 5. tit. 5. Vide Ord. Emm. lib. 4. tit. 52. §. 4., Alph. lib. 3. tit. 103.
(17) Vide Ord. Emm. lib. 5. tit. 89. §. 6.
(18) Vide Ord. Alph. lib. 2. tit. 59. §. 20.
(19) Vide leg. Dionys. 4. Maii. 1305.
(20) C. L. p. 2. tit. 5. Vide Ord. Alph. lib. 3. tit. 16.

Digitized by Google

# LIBER III.

Codicis Philippini continet titulos 98., Emmanuelini 90., Alphonsini 128.

| Tituli Codicis Philippini. | In Codice Emmanuelino. | In Codice Alphonsino. |
|---|---|---|
| 1 | 1 | 1—(1) |
| 2 | 2 | 2 |
| 3 | 3 | 3 |
| 4 | 3. §§. 1. 2. | 3. §§. 2. 3. 4. |
| 5 | 4 | 4. et 43. |
| 6 | 5 | 5. et 6. |
| 7 | 7 | 8 |
| 8 | 6 | 7 |
| 9 | 8 | 9 |
| 10 | 9 | 13 |
| 11 | 10 | 14., 116. |
| 12 | 11 | 16 |
| 13 | 12 | 18. 19. |
| 14 | 13 | 17. 42. |
| 15 | 14 | 27. 47. 18. |
| 16 | 81 | 113 |
